



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Lvdovici Caroli II. Regis Siciliae Filii, Ex Ordine
Minorvm Episcopi Tolosani Vita**

Sedulius, Henricus

Antverpiæ, 1602


urn:nbn:de:hbz:466:1-42834



Th. 2418.

K14

39



Lehrbuch v. Toulouse

SANCTI
LUDOVICI
CAROLI II.
REGIS SICILIÆ
FILII,
EX ORDINE MINORVM
EPISCOPI TOLOSANI
VITA.

*F. Henricus Sedulius ex tenebris eruit, stilo &
Commentario illustravit.*



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Ioannem Moretum.
M. DCII.

Socijs Jesu Paderb

SANCTI
LUDOVICI
CAROLI II
REGIS SICILIAE
FILII

EX ORDINE MINORVM
SOCIETATIS
VITI

E. Henricus Gebelinus ex rectoris curia, die 27
Compositum in Paderborn.



ANTWERPIA
ET ALIIA
Paderborni

ILLVSTRISSIMO³

DOMINO, REVEREN-

DISSIMO PATRI,

FRANCISCO GONZAGA

EPISCOPO MANTVANO,

F. Henricus Sedulius D.D.

VITAM S. Ludouici, ex Or-
dine Minorum, Episcopi
Tolosani, Commentario no-
stro illustratam, & quic-
quid est huius libri, tibi, Præsul amplif-
sime, lubens meritò consecro, dedico, si-
ue potius nominis tui splendore ador-
no, meâ tuâque causâ. Meâ: nam bene-
ficiis tuis victus atque adeò vinctus
sum, vt nisi optimè merito de me gra-
tiam aliquam retulero, non iniuriâ au-
diam ingratus. Ante circiter viginti an-
nos, exsulem me propter insana Belgicæ
nostræ bella, in superiori Germaniâ be-
nignissimè fouendo, honoribus (si mo-
dò tales, & non magis onera) auxisti. in
ipsam urbem orbis dominam accitum

A 2

gratiâ

gratiâ profecutus es. In Galliam tuâ
 S.D.N. Clemente VIII. Pont. Max. cum
 purpurato Legato Nuncius Apostoli-
 cus missus, & verò Angelus pacis, ad-
 iuncto (vt perfectus esset sacratus trium-
 numerus) R^{mo} P. Bonauenturâ à Cala-
 tagironâ, tunc Ordinis Minorum Mini-
 stro Generali, nunc Patriarchâ Con-
 stantinopolitano; paci inter potentissi-
 mos orbis Christiani reges operam na-
 uaturus: consilio communi & solertiâ
 tuâ, tranquillitatē & pacē optatam diu,
 sed pænè desperatam nobis reddidisti.
 Et quidem in illis publicis maximisque
 occupationibus, mei nominis apud te
 memoria vixit, ita vt ad me sæpe scribe-
 re non piguerit, hortarique in conqui-
 rendis, perscribendisque Ordinis Sera-
 phici auctoribus, qui nomen illius lon-
 gè lateque propagarunt, aliquam ope-
 ram ponerem, è quibus Bibliothecam
 instruere tecum iam decreueras. Di-
 gnium certè tali viro opus. Alij in répub.
 multa conferunt, rebus domi, militiæ,
 publicè, priuatim, prudenter gestis: sed
 cum rectius esse videtur, ingenij quàm
 virium opibus gloriam quærere; qui
 monu-

monumentis litterarum, & illo pennato
curru gloriam Dei euehunt, salutem ho-
minum communem procurantes, non
sibi dumtaxat, sed suis, posterisque sa-
lubriter consulunt, ceteris omnibus præ-
stare, sententia est mentium meliorum.
Et quàm multi in hoc litteratorum Se-
nato, Ordinis nostri eximij viri! Ista
posteritas ferè omnes dimisit velut eme-
ritos senes, fortean nec honestâ dimis-
sione. Illos veteranos, exercitatissimos,
belloque meliores in castra & expedi-
tionem reuocare: atque vt in exercitu,
sic in vnâ bibliothecâ, singulas cohortes
æqualium tempore, scripto, materiâ,
pulchro ordine, longâ serie ab annis di-
ductâ in annos, suo loco ceu certis sta-
tionibus collocare, iam tunc fuit in ani-
mo tuo. quo quid vtilius, quid præstan-
tius à principe viro agitari potest? Iu-
uissim equidem pro meis viriculis piis-
simos tuos conatus, vti promiseram,
Bibliothecâ Seraphicâ conscribendâ, ad
quam tunc animum applicueram: sed
me præuenit vir eruditus, F. Henricus
Villor, Prouinciæ Flandriæ Mini-
ster, edito Abecedario Catalogo Scri-

ptorum Ordinis nostri , hoc titulo :

Athenæ Orthodoxorum Sodalitij Franciscani, qui vel selectâ eruditione, vel floridiore eloquentiâ, vel editis scriptis, SS. Dei sponsæ Romanæ operam nauarunt.

Quo omnes, operaque omnium, quæ videre & scire potuit, complexus est. Fecit, & quidem cum laude, maiora præstaturus, nisi necessitatis esset humanæ in finem suum naturâ labente dissolui. Interim ego calamum meum continui ab illâ scriptione: ne cum illo velle contendere videri possem, aut inuidere in hoc circo currenti. At verò nunc cum ad albam metam ille peruenerit: quid vetat etiam nos ad palmam currere? eadem conari, sed alio quodam modo, sententia est. Fietque, Deo fauente, si enauiganti æstuosum istud munerum mare, in otij boni portu stare liceat. Tuâ causâ, hic labor meus exit in nomine tuo. nam vitam filij regis, ex Ordine Minorum sanctissimi Episcopi, cui, amabò te, iustius deferam, quàm eiusdem instituti principi viro & Episcopo? quæ ornamenta, etsi Ordo noster mul-

tos

7
tos nunc quoque Antistites habeat, ta-
men in aliquo alio non pariter conue-
nerunt. Accipe igitur benignè pignus
hoc exiguum meæ gratitudinis. & tu,
Illustrissime præsul, huic tenello partui
tutor esto. qui, in Bibliothecæ tuæ Sera-
phicæ loculamentis, si locum aliquem
acceperit, tutus erit. Vale, Ecclesiæ
totius, Ordinis nostri, atque adeò om-
nium publico bono.



A 4 IN

IN VITAM D. LVDOVICI
ORDINIS MINORVM
EPISCOPI TOLOSATIS, &c.

A. R. P. HENRICO SEDVLIO descriptam
Nicolai Oudaert Epigramma.

AD scelera impellat quæ, quantæque, dira
cupido

Regnandi, historiis mille aliâsq; liquet.
Quàm Ludouico autem Sæcto nihil inde pericli,
Sedulij ista p̄j sedula scripta docent.
Quèis equidẽ constat, regnorum scepra duorum
Delata, vt generis debita iure, sibi,
Contempsisse animi magno illum robore, Diui
Francisci ac normæ postposuisse sacræ.
Pluria virtutum sed & exempla in super addit
Sedulius, nobis tanti imitanda viri:
Sedulò apis passim dum singula colligit instar,
Sèque bonis sancta sedulitate probat.

Ius laude coronat.

PRÆ-

P R Æ L O Q U I V M

A D L E C T O R E M.



SUPERIORI tempore, be-
 nigne lector, cum nonnihil ope-
 ræ ponerem in edendâ, illu-
 strandaque meo Commentario
 historiâ vitæ S. patris Francisci; varia exem-
 plaria conquirebantur, ad quæ illa corrigen-
 da esset. Cum aliis è bibliothecâ Fratrum no-
 strorum Louaniensi allatus fuit vetus admo-
 dum liber membraneus manuscriptus, in
 quo præter vitam S. Francisci, alia pleraque.
 Et euoluës inueni sub finem adscriptâ vitam
 S. Ludouici ex Ordine Minorum Episcopi
 Tolosani. Subsultabat mihi animus præter
 spem inuento publico thesauro hæctenus ab-
 scondito. Nam quamuis Ioannes XXII. Pont.
 Max. suo diplomate, quo cælestes illi decreuit
 honores, sat multa conscripserit, quæ insignem
 eius testantur sanctitatem: tamen curiosum
 hoc æuum plura desiderat, quàm eius breui
 & abscisâ scriptione narrantur. plura et
 vberiora liber ille præbebat. Subsūt igitur
 mihi hanc ipsam historiam à tenebris & obli-
 uionis iniuriâ luci asserere: sed absterrebat
 primùm tacitus auctor; tum etiam stilius il-
 lius

lius sanè quàm incultus ; denique prorsus in-
 ordinata & confusa dispositio . Quid age-
 rem ? licet incursum tam seua & infesta
 virtutibus tempora, iudicia etiam huius ævi
 fatua aut iniqua, hæc ausus sum . Capita, quæ
 ille septem tantummodò posuit, ordinis gra-
 tiâ aptioris, & vitandi ex nimia longitudi-
 ne fastidij, disparavi in viginti duo . deinde
 secutus historiæ fidem, aptiùs (meo quidem
 iudicio) singula disposui, monitis salutaribus
 & sententiis ornans, paulò meliorem feci, la-
 tiniolemque . atque id exemplo bonorum au-
 ctorum, qui facta, dictaque adstrictiùs, spa-
 tiosiùs & vberius explicare solent . Iuuit equi-
 dem, eoque lubentiùs subire laborem, quòd
 ipsa historia à S. Ludovici equali conscripta
 sit, & quod plus est familiari . Tacet nomen
 suum, quæ eius modestia, nec mihi quicquam
 de eius nomine compertum : tamen aperit
 aliquando se familiarem S. Ludovico fuisse .
 Sic enim inter alia præloquitur, Ipsius ge-
 sta non quidem omnia, quia nec omnia
 ego didici aut scire potui ; sed aliqua,
 quæ partim in eius domo & societate
 existens, oculatâ fide perspexi : partim à
 quibusdam viris fide dignis auditu per-
 cepi, ad Dei & Sancti gloriam exponere
 decre-

Cap. 1.
ind. 9.

decreui. Et initio historiae scribit se nonnulla accepisse à matre S. Ludouici, quae litteris mandauit. alibi quoque vidisse se illum Barcinone publicè disputantem. Si historia propriè est rerum, quibus interfuit qui scripsit: iure tibi, mihi, atq; adeò cuique beniuolo gratulandum erit de scriptore, qui quae vidit, quae certò cognouit perscripsit. ex quo etiam ambigua quaedam et dubia definiri possunt; etenim nonnulla sunt, de quibus in Commentario meo ad vitam eius, si modò vacabit inspiciere, certior fies. Itaque superior aetas, incuriosa suorum cum historiam vitae sanctissimi Episcopi penè amiserit, amicis quoque eam valdè exigentibus, ipsam posteris tradam: et in hac tenebricosâ vitiorum nocte, summarum virtutum lucidissimam faculam accedam, bonis, malis, omnibus, solatio, medicamento, exemplo futuram. In quo, ita nostri quoque rationem commodi ducimus, vt non inanem ab hominibus memoriam, sed æternum à Deo præmiu[m] expectemus. Quia etsi ipsi non ita viximus, vt aliis exemplo esse possimus: dedimus tamen operam ne is lateret, qui esset imitandus. Cuius gratiâ præmitto nonnulla

Sulpit. S.
Mar. in
prologo.

ELOGIA

ELOGIA

In S. Ludovicum Episcopum Tolosanum.

IOANNES PP. XXII.



S. Ludovicus electus ex omnibus.

VI facit mirabilia magna solus, Psalm. 135. 4.
dilectum suum, confessorem eximium, beatum videlicet Ludovicum, puritate candidum, caritate feruidâ rubicundum, electum ex millibus, produxit nouiter vt exemplar præfulgidum, cunctis fidelibus imitandum: eius vitæ singularis excellentiam signis probans, & prodigiis coruscantibus, crebris miraculis manifestans. In bulla Canonizat. §. 1.

Hymnus.

Omnium virtutum simulacrum.

Vergente mundi vespere, Sol mudo misit hesperum:
Qui micans vt in æthere, lucē monstrauit operum:
Ludovicus per omnia, ductu diuinæ gratiæ
Vectus est, ab infantiâ Solem sequens iustitiæ.
Regali stirpe genitus contempsit primogenita:
Regno terreno penitus mente carens gratuitâ.
Detentus in Hesperia claret per patientiam:
Nam passus nimis graua, præfert semper lætitiâ.
Dum patitur exilium, datur solerti studio:
Christus eius ingenium suo perfudit radio.
Quo repletus deificè, profert cunctis saluifica:
Vbique fans authenticè præco Dei mirifica.
Factus Francisci filius, virgo candens vt lilium.
Fit & præsul eximius, collega nunc cælestium.
Ex officio Breuiarij antiqui ad primas Vesperas.

Mutato habitu ingressus est bellum.

Pelbartus à Themesuar Ordinis Minorum.

De Sancto Ludouico dicere licet, Rex mutauit 3. Reg. habi- 22. 30.

ELOGIA

habitum suum, & ingressus est bellum. *Conc. de S. Ludouico.*

Hieronymus Platus Societatis Iesu.

Ludouicus Caroli II. * Gallorum regis filius * primogenitus, omnibus certè animi & corporis bonis ornatus. Hic cùm obses in Hispaniâ salutare religionis consilium cœpisset, sed à Franciscanis ob regis respectum differretur: ipse se voto, nec semel, publicè obstrinxit. deinde cum anno * M. CC. xcvii. à Bonifacio viii. Tolosanus ei Archiepiscopatus deferretur; assentiri numquam voluit, nisi prius veteris voti compos fieret, vt Franciscanum habitum susciperet, quem in magnâ nobiliū coronâ susceptum numquam amplius deposuit: sed potius cum habitu vitæ illius rigorem perpetuò retinuit, Episcopales curas religiosiis officiis cumulans. *Lib. 2. de bono Status relig. cap. 26.*

* Vide Commen-
tarium
meum in
cap. 1.

* Vide
Com. ad
cap. 19.

A quo
dicitur
tamen
absentis

Robertus à Licio Ordinis Minorum, Episcopus Aquinatensis.

Quis non magnificiat Sanctum Ludouicum? qui regis & reginæ filius, formosus corpore, diuitiis affluens, ætate florens, ingenio acutus, ac qui-
buslibet temporalibus bonis abundans, vitia spreuit, terrena calcauit, & Christum Iesum benè beateque viuendo quæsiuit? *Conc. de S. Ludouico cap. 1.*

Omnibus
dotibus
ornatus

Hieronymus Platus Societatis Iesu.

Illud manet, quod supra posuimus & confirmatum est, magnam esse huius status, etiam apud homines dignitatem; multoque eminentiorem omnibus regum sceptris atque imperiis. Hoc benè intellexit Ludouicus ille Caroli * Gallorum regis filius, de quo supra à nobis alio loco dictum est. qui cùm

* Vide
Commen-
tarium
meum in
cap. 1.

ter-

terreni regni tam opulenti hæreditatem contem-
 nens, Franciscani Ordinis habitum suscepisset,
 quem diuturnis ardentissimisque votis cõcupierat;
 cuique à quodam eiusdem Ordinis fratre inter gra-
 tulandum dictum esset, valde illum eo die Franci-
 scanã familiam honorasse: respondisse fertur, Imò
 verò ego potiùs ex hoc habitu, magno sum hodie
 honore affectus. *Lib. 2. de bono Status relig. cap. 37.*
Ex lib. Conform. fruc. 8.

Laurentius Surius Carthusianus.

Inter omnia diuina charismata, præcipuè in eo
 relucebat eximia hūmilitas, haud aliter atque car-
 bunculus in aureo ornamento.

Item paulò pòst.

Ad eius conciones audiendas tantã auuiditate ad-
 currebant homines, vt propter turbas sese inuicem
 comprimentes, quidam in mortis discrimen addu-
 cerentur. *Tom. 4. ad diem 19. Augusti.*

Hartmannus Scheydel.

Ludouicus, felix, sanctus, ex regali progenie, pa-
 tre Carolo secundo rege Siciliæ, matre Mariã regi-
 nã Siciliæ & Hungariæ, originem habuit. In ætate
 tenellã religiosum præceptorem habens, ductus est
 in Cathaloniam, cum duobus è fratribus suis datus
 obses pro liberatione regis Caroli genitoris. vbi per
 septennium à fratribus Ordinis Minorum libera-
 libus ac diuinis artibus instructus, doctus euasit: vt
 publicè ac priuatim disputaret, clero ac populo
 verbum Dei manifestaret. fuit in orationibus se-
 ctulus. factus Sacerdos fermè singulis diebus cele-
 brabat. Castitatis amator: vt exceptã matre, ac so-
 roribus, cum solã numquam loqueretur. Corpus
 castigabat assiduè. Inde ad petitionem Bonifacij
 Põntificis, priùs Ordinem Minorum professus, &
 habi-

15
habitum suscipiens, Episcopatum Tolosanum re-
gendum accepit, vbi mira opera pietatis perfecit.
Demum in infirmitate vltimâ constitutus, susceptis
deuotissimè Sacramentis, resolutus in mortem, ad ^{Mors sa-}
cælum feliciter euolauit; quem Dominus magnis ^{lutaris.}
miraculis magnificauit: consummatis enim operi-
bus bonis, tēpora multa expleuit. *Sextâ etate mundi.*

F. Henricus Sedulius ex Ordine Minorum.

S. Ludouicus Caroli II. Siciliae regis filius, ex
Ordine Minorum Episcopus Tolosanus, vultus,
totiusque corporis venustate & pulchritudine su-
pra fidem excellens; animi verò dotibus, pietate,
religione, ieiuniis, assiduis precibus, afflictione cor-
poris, igneis continuisque domi, foris, cōcionibus,
miseratione in pauperes, obsequio in miseros, lon-
gè præstantior, omniumque coronâ virtutum.
Spretis Siciliae & Hungariae potentibus regnis, quæ
iure ac legibus adire potuit, Ordini S. Francisci se
summâ deuotione addixit, caduca ista & fragilia,
puerilibusque consentanea crepundiis, quæ opes,
quæ imperia vocantur; quæ nullo in loco, in nullâ
personâ stabilibus nixa consistunt radicibus, sed
incerto fortunæ flatu fluunt, refluunt; ex alto despi-
ciens, verum beatæ vitæ finem non adumbratum
ostendens, magis probauit securitate ridens tugu-
rium, quàm tristem curis & sollicitudinibus aulam.
memorabili exemplo vanâ felicitate dispretâ, soli-
dam demonstrauit, Euangelicâ paupertate & hu-
militate Christianâ, quàm regno sublimior. Rebus
humanis exempto admodum quidem adolescenti,
sed paucis annis operû multitudinem superatis; vir-
tutes aditum in cælum struxerunt, ∞. CC. XCVII.
quem miraculis coruscum infinitis, Ioannes XXI I.
in scriptis catalogo Diuorum; in sanctitatis eximie
fidem, capitis eius cerebro, an. à morte XVIII. inte-
gro reperto.

IN-

INDEX CAPITVM.

CAP. I.

DE S. Ludouici regiâ stirpe, & pura vita à tenerâ etate primordiis.

CAP. II.

Cum duobus fratribus obses datur pro patre, de constantiâ eius in captiuitate.

CAP. III.

De morbo eius & voto, quo se instituto D. Francisci adstrinxit.

CAP. IV.

In periculo mortis prodigiôsè à morte seruatus, mundo nuncium remittit.

CAP. V.

Assiduus fuit & attentissimus in precibus die noctuque, à quibus eum diabolus deterrere conatur.

CAP. VI.

Sacris Misse mysteris nisi peccata confessus nã voluit interesse, saepe sumens corpus dominicum. Sacerdos ferè quotidie sacrificabat. De pietate eius in lignum & signum S. Crucis, & sanctas reliquias.

CAP. VII.

Otium vitat, semper fructuosè occupatus. vanorum consuetudinem fugiens delectatur solitudine.

CAP. VIII.

De consuetudine cum probatissimis viris, quorum stabilis consilio se suaq; regebat.

CAP.

CAP. IX.

De eius eruditione, & indefesso labore in concionando.

CAP. X.

Amore paupertatis Euangelica regnum paternum spernit. factus clericus iterat votum capiendi instituti Franciscani.

CAP. XI.

De voto soluendo cogitans fit Minorita, paupertatem Ordinis illius lætissimè complectens.

CAP. XII.

Ludouicus pauperibus humiliter ministrat, leprosum osculatur, cuius merita Deus miraculis comprobauit.

CAP. XIII.

Vt se gesserit Ordinibus Ecclesiasticis inuitandus. Sacerdotij dignitas. Ab humilibus fratrum exercitiis noluit abstinere ipse Episcopus.

CAP. XIV.

De abstinentiâ eius & continentia.

CAP. XV.

De moderatione quâ fuit in reprehensione, quam amabat. Detractionem & discordiam execratur. Pacem reparat, & caritatem inter dissidentes conciliat.

CAP. XVI.

Cunctis prodesse laborans, etiam Iudeos & Ethnicos Christo lucrari conatur. Egenis & agris largas eleemosynas dilargiens, pauperes visitat, & captiuos, quos liberauit.

CAP. XVII.

Probatos tantum admittit in sortem Domini,

B

quos

*quos non vestibus ornari cupit, sed virtutibus.
De prudentiâ vite totius directrice.*

CAP. XVIII.

*Ludouicus omnibus corporis & animi dotibus
cohonestatus, febriens ad mortem se parat.*

CAP. XIX.

*Sacramentis Ecclesiasticis pro more Christiano
munitus, in precibus ad Deum, ad B. Mariam,
moritur; etate iuuenis, maturè senex, Massilie
sepultus.*

CAP. XX.

*Recensentur miracula, & prodigiosa beneficia,
quæ in pios contulit viuus, mortuus, in tredecim
paragraphos disparata.*

CAP. XXI.

Refertur in numerum Sanctorum.

CAP. XXII.

De translatione illius corporis sacri.

Additum

*Diploma S. D. N. Ioannis PP. XXI I. quo
S. Ludouicus refertur inter Diuos.*

S A N.

SANCTI
 LUDOVICI
 CAROLI II.
 REGIS SICILIÆ
 FILII,

Ex Ordine Minorum, Episcopi
 Tolofani Vita.

CAPVT I.

*De S. Ludouici regiâ stirpe, & purâ vitâ à
 tenerâ etate primordiis.*



LUDOVICVS patre Ludouici
 Carolo II. rege Siciliae, parentes,
 è Francorum regali
 stemmate; matre Mariâ
 Hungariæ regis filiâ, na-
 tus est. quo initio floren-
 tis ætatis aucti parentes,
 aspectu sanctitatis B. Ludouici regis Gallia-
 rum, filium Ludouicum nominarunt: vt re-
 ferret mores cuius nomen exprimeret. Nec Nominis
 eius ratio. fefellit eos votum. Nam puer minimè indul-
 gebat puerilitati, vt pueri solent: sed pietate
 & grauitate morum maturè senex, ætatem
 probitate, spem parentum incredibili virtute
 B 2 supe-

Tenera
pietas.

superabat. Animum nequidquam voluptati relaxauit: sed conformans ad diuinum cultum, Deo studebat magno opere placere.

Quasi alter Salomon optauit, & datus est illi Sap. 7.
sensus: inuocauit & venit in eum spiritus sa. 7.

pietiae. quâ præditus coætaneos quibus cum educabatur, deliciis, iocis, lusibus puerilibus more principalium liberorum occupatos, nonnunquam subterfugiebat, ipsis sensu maior, non annis: stimulosque præsentiens diuini amoris, totum iam se tunc consecrabat precibus & pietati. Mirum fanè, quod à serenissimâ eius matre reginâ Mariâ accepi, & quibus erat illum cura educandi: nempe septennem, cum adhuc delicatè ac molliter

Asperitas.

veluti Regis filius haberetur, inuentum esse sapius spreto lecto humi cubuisse in tapetibus. Itaque sicut Ioannes Baptista pœnitentiam agens in pueritiâ, molles ac delicatas voluptates cœpit ineunte ætate abhorrere: maturè ad eam se vitæ normam componens, quam semper teneret. quasi iam tum intelligens quod nondum legerat, *Adolescens in-*

Prou. 22. 6.
æta viam suam, etiam cum senuerit non recedet

ab eâ. tenero animo totius probitatis grauitatem percepit, quom quoad vixit perseueranter seruauit. Frequentabat assiduè Scholias Spiritus sancti, templa & monasteria: tempestiuè cogitans, quod postea deuotus impleuit. Mansuetudine, lenitate, patientiâ, elegantia morum, & maturitate erat incredibili, & suprâ quàm dici potest, tractabili ingenio.

Mores
probi.

ingenio. Hæc probitatis initia in tenello pue-
ro, tanquam in herbis, significabant, quæ,
quantæque fruges essent futuræ virtutis &
sanctitatis.

CAPVT II.

*Cum duobus fratribus obses datur pro patre. de
constantia eius in captiuitate.*

A Tenim cum esset dilectus Dei filius,
necesse fuit eum tentatione, quasi au-
rum in fornace probari. Annis igitur puerili-
bus, exemplo sancti Patriarchæ Iacob, domi-
simpliciter actis; dispositione Dei flagellan-
tis omnem filium quem recipit, cum attigis-
set annum ætatis quartum decimum, missus
est in Cathaloniam pro liberando patre, fi-
lius Ludouicus obses, cum duobus germanis
fratribus; vbi toto septennio constantiam
eius tum ipsa captiuitas, tum adhibiti custo-
des mirum in modum exercuerunt: plures
vt confirmaret piis exemplis, & salutaribus
monitis ad patientiæ virtutem animaret.
Aliquando rogatus, qui posset illi in tot ad-
uersis, tanta esse æquabilitas, idem vultus,
eadem frons? tum ille, aduersa, inquit, amicis
Dei plus conducunt, quam prospera. tunc
Deo subditi sumus, quando aduersis vrge-
mur. Secundæ res mentem extollunt, atque
efficiunt vt Deum non cogites, non verearis.
Fortuna etenim vt ignarus medicus, cæcos

Mittitur
obses in
Cathalo-
niam.

Aduersa
probant
virtutem.

B ; eos

eos plerumque efficit quos complectitur; &
 quem nimium fouet, stultum facit. Atque
 ideo infelix ille in quem nihil triste incurrit:
 hic aut sibi ignotus, vt qui nunquam sui pe-
 riculum fecerit; aut Deo inuisus, quem præ-
 terit velut ignauum ad conflictum. Aduersi
 aliquid eueniat oportet, quod probet virum.
 sed magni animi proprium est, placidum
 esse, & tranquillum: tristitia quæque supernè
 despiciere, humanosque casus virtute inferio-
 res putare; calamitates mortalium sub iugum
 mittere proprium est magni viri. Itaque in
 arenâ illâ tam salutariter exercitatus, in tan-
 tum promouit, vt, postquam esset custodia
 liberatus, adfirmauerit nunquam se rogasse
 Dominum Deum, carcere liberari, præter
 semel: hac tamen cautione, si esset salutare.
 & quod magis mireris, noluisse opibus totius
 mundi carcerem illum commutatum: po-
 tius iterum repetere, in cuius gymnasio tan-
 tum profecisset. Citabat huic fini illud
 Prophetæ, *Latati sumus pro diebus, quibus* ^{Psal. 82}
nos humiliasti; annis quibus vidimus mala. ^{15.} Vix
 enim sapimus nisi experti.

Quibus
 ille melior
 euasit.

CAPVT III.

*De morbo eius, & voto, quo se instituto
 D. Francisci adstrinxit.*

Licet verò in ipsâ captiuitate, tanquam al-
 ter Tobias, *viam veritatis non desereret;* ^{Tob. 1.}
 decreuit tamen diuina prouidentia, quæ ip-
 sum

sum ad maiora seruabat, ampliùs probare & grauioribus molestiis exercere: vt variis tunctionibus perpolitus, formaretur in vas pretiosum & electum. Quamobrem in arce Suranâ grauiissimo morbo correptus, purulentum & tinctum fœdo cruore phlegma cœpit eiicere, vt medici læsum pulmonem suspicati sint. Ingrauescebat morbus in dies magis magisque, sed maximè pridie Purificationis B. Mariæ virginis: adeò vt catharri grauedine propemodum suffocaretur. Tunc ad se rediens, vouet Deo pro salute, B. Mariæ virgini matri, S. Patri Francisco, vitam & institutum Fratrum Minorum, seque in eo, quoad viueret, perseueraturum. Voto reuoluit, & patrociniò Sanctorum. Nec oblitus beneficij fuit: sed proximâ Pentecoste, Spiritu sancto adflatus, summo manè in æde arcis, ad memoriam B. Dei genitricis exstructâ, quod secum tacitè promiserat, ad altare Domini, apertè renouans, manifestè seipsum obtulit Domino gratissimam oblationem & holocaustum; consultius esse ratus Deo dari, quàm sibi relinqui.

Morbo correptus.

Voto suscepto sanatus.

CAPVT LV.

In periculo mortis prodigiosè à morte seruatus, mundo nuntium remittit.

A Nimi remittendi gratiâ, cum ei copia facta fuisset, & Roberto fratri, postea Siciliæ regi, equis, armis, cursu & congressu

B 4 exer-

exercitarii: assensus est vel in fratris gratiam,
 quem oblectabat eiusmodi lusio: Spectanti-
 bus omnibus; subito equus Ludouici ma-
 gnus & fortis labitur: atque in ipsum resupi-
 num, tertio se supinus equus rotans circum-
 git, magno & quasi præsentis vitæ Ludouici
 discrimine. Territis cunctis & consternatis,
 nec nisi mortem illius cogitantibus, surgit
 Ludouicus præter omnium expectationem
 illæsus: & puluerem extergens, periculo fuit
 liberatus. Mirabantur omnes magnum hoc
 miraculum; Deo facti supplices; qui nouit
 suos, cum expedierit in periculis conseruare.
 Ipse verò, vt se recepit, secum altius confide-
 rabat rerum humanarum imbecillitatem, &
 summam Dei clementiam in nostrâ tutelâ:
 ruminans illud regij prophetæ; *Fallax equus* Ps. 32.
ad salutem: in abundantia autem virtutis sue 17.
non saluabitur. & Non in fortitudine equi vo- Ps. 143.
luntatem habebit; nec in tibiis viri beneplaci- 10.
tum erit ei. Beneplacitum est Domino super
timentes eum, & in eis qui sperant super mise-
ricordiâ eius. Toto igitur corde ad Deum
 conuersus, militiam relinquere cogitâs, sper-
 nere incepit pompam mûdi, Christo Domi-
 no qui solus habet, & dat immortalitatem,
 obsequi firmius proponens, statuit ex illâ ho-
 râ, nullo pòst tempore, equitare in equo, nec
 arma gestare. quod ipsum quoad vixit, dili-
 genter obseruauit. Nam etiam Episcopus,
 semper memor humilis Pontificis, & paupe-
 ris regis Domini nostri Iesu Christi, a sella
 olim

Spernit
 mundi
 pompam.

olim vecti in urbem Ierusalem, nunquam in equo, sed vulgari mulo equitare voluit. Præclara res & amabilis, modestia & humilitas: in paupere grata, in potente meritò gloriosa prædicatur.

CAPVT V.

Affidius fuit, & attentissimus in precibus die noctuq; à quibus eum diabolus deterrere conatur.

HÆc initia puerilis libasse pietatis sat est: sequitur vt ad ceteras virtutes eius, sed prius ad orandi studium, quod Christiani hominis sempiternum opus esse debet, transeamus. Igitur lumine Spiritus sancti animo illustrato, didicit mentem piam, cælesti sponso assiduo precandi studio coniungi. Quapropter vehementer desiderans, salutaris frui complexu Iesu Christi dilecti sui, magno opere conatus est illi se totum orandi perpetuitate, tum publicè, tum priuatim, consecrare. Etenim adhuc laicus pensum diuini officij, diurnum pariterque nocturnum, ex more Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, studiosissimè Domino quotidie persoluebat: molestè ferens & seuerè arguens, si quos in precando videbat properare nimium, aut quouis modo diuinum illud opus interturbare. Psalmos legebat miro feruore, animo aded

*Preces
eius quo-
tidiane.*

*Et in eis
feruor.*

B s intue-

intueretur : vt exemplo suo torpidos & se-
gniores ad effectum pietatis vehementer ex-
citaret; serenâ facie, & vultu placido, semper
interiorem significans lætitiã spiritus &
iucunditatem. Quia verò est, quod vulgo
dicitur, *Vbi cor, ibi oculus* : tantisper dum ora-
bat, in ecclesiis præsertim, oculos in crucifixi
imaginem defigebat: vt flamma sibi in pecto-
re cresceret rerum gestarum. Ad horarias
preces addebat quotidie psalmos, qui Pœni-
tenciales appellantur, cum Litanis; & plerof-
que alios gustui suo, & inflammandæ pietati
oportunos: quos singulos piâ illâ oratione ad
B. Virginem, *Salve regina, mater misericordiæ*,
claudere solebat. Item laudes de S. Cruce
Domino recitabat quotidie vnâ cum socio,
fratre ex Ordine Minorum, clauso conclau
ab aliis seiunctus. vbi cupiens *sentire quod* Phil. 2.
& in Christo Iesu, quamdiu cruciarix illæ
preces durabant, permanebat immotus, bra-
chia extendens in formam crucis. Post com-
pletorium nonnullas orationes de gaudiis
B. Mariæ, quam piè colebat, fundere consue-
uit, & aliquot alias preces: ita iugiter Deo
reddens vitulos labiorum suorum, & hostiam Ose. 14
laudis. Dulce IESU nomen calido venera- Heb. 13
batur adfectu: quoties illud audiebat, iubilo
quodam videbatur repleti; & caput reueren-
ter inclinans, osculansque terram, illi *admi-* Psalm.
rabili nomini debitum exhibebat honorem. 8. 2.
Sub noctem cum ad cœnam vocaretur, adeò
multus esse solet in orando, vt molestè id
ferrent

Preces
eius in
honorem
S. Crucis.

Affectus
in B. Ma-
riam.

Et in no-
men Iesu.

ferrent eius familiares: nunquam tamen accumbere voluit, nisi oratione præmissâ conatus esset pabuli cælestis dulcedinem prægustare. cum etiam quod amicis Dei familiare est, metu & diffidentia sui, ab omnibus flagitabat subsidia orationum: indignum se arbitratus & ineptum, qui Deum posset exorare. Denique fessa membra quieti concedens, cum rege Dauide, *lauabat per singulas noctes lectum suum, lacrymis suis stratum suum rigabat*: multo consultius arbitratus, fonte purgari quàm igne. Ad hæc, assiduus in libris sacris, & auidissimus sermonis diuini, mensam etiam antequam esset Episcopus, sacrâ lectione condiebat: omni ratione ac modo

Ps. 6. 7. *hauriens aquas è fontibus Saluatoris, quas orationis tempore libans Domino, vberius terram cordis irrigabat. Ad orationem videbatur à Deo accepisse spiritum precum: ad lectionem, in lege Domini voluntatem.* Itaque erat illi perpetua talis exercitatio; oratio excipiebat lectionem, lectione orationem: cæsens omne tempus, cuius erat custos parcissimus, sibi periisse, quod in diuinis cogitationibus, siue orationibus non consumsisset. Hic mos eius interdum orandi: sed ne quidem inter noctu volebat vnquam à longis precibus vacare. Quod ægerrimè ferens humani generis hostis, conatus est, nonnunquam eum ab orandi studio deterrere. Nam obsidi in Cathalonia, visus est cacodæmon nocte intempestâ oranti, in formâ horribilis felis: vt inie-

Orationes ab alijs petit pro se.

A'ternæ oratione & lectione.

Spectrum demonis signo S. Crucis profligato.

cto

cto timore absterreret ab oratione. At impavidus adolescens, potentiâ Domini fretus, munuit se viuificæ signo crucis: atque ita timor menti decessit, virtute illius tropæi statim hoste maligno profligato. Vbi verò rescivit hoc fratrem suum Raymundum animaduertisse, qui in eodem cubiculo vnâ dormiebat: illius fidem iureiurando adstrinxit, ne hoc cuiquam ante mortem suam indicaret. Ille conseruandi quidem iurisiurandi causâ tenuit fidem: sed post decessum fratris, rem compluribus enarrauit.

CAPVT VI.

Sacris Missæ mysteriis nisi peccata confessus non voluit interesse, sæpe sumens corpus Dominicum. Sacerdos ferè quotidie sacrificabat. de pietate eius in lignum & signum S. Crucis, & sanctas reliquias.

DE pietate eius in sacrosancta mysteria Christianorum, & sanctas reliquias, etiam nonnulla promenda nunc veniunt. Ad Missarum mysteria diligentissimè se præparabat, quibus nunquam voluit interesse, quod singulis diebus consueuerat, nisi peccata confessus, maximè verò quoties esset S. Eucharistiam sumpturus: vt expurgatus virtute salutaris pœnitentiæ, *Agnum illum sine maculâ*, puro corde & corpore manducaret. In more erat illi antequam Sacerdos es-

ser,

Pietas
eius in
sacris com-
muniis.

set, principalibus sollempnitatibus corpus sumere Dominicum, tantâ reuerentiâ & affectu, vt spectantes exemplo suo vehementissimè inflammaret. Factus Sacerdos & Episcopus, tametsi pro officij ratione maximis distineretur occupationibus, ferè quotidie, confessione præmissâ operari diuinis non intermittebat; ne quidem cum magnum iter fecisset, cælo etiam valde pluuio. Factum aliquando, vt longo itinere confecto, sacrificare volens, non inueniret Sacerdotales vestes, nisi viles & sordidas: tamen, vt erat augustissimo illi Sacramento deuotissimus, & modestissimus, sacrificauit: probè sciens supremum numen placari & delectari potius affectu puræ mentis, quàm externis ornamentis. Et vt erat fidus amicus Christi, partem ligni sanctæ Crucis, cum aliis multis ^{Gestæ} ^{sanctis} ^{reliquiis} sanctorum reliquiis veneranter gestabat. Sed & signum crucis, ad expeditionem transmarinam contra nominis Christiani hostes dari consuetum, donec S. Francisco nomen dedisset, propalàm ex more gerebat in vestibus.

CAPVT VII.

Otium vitat semper fructuosè occupatus. vanorum consuetudinem fugiens delectatur solitudine.

HVmanum ingenium ita vni alicui rei nequit alligari, vt illi perpetuùm inhaereat:

reat: sed alternis opus est, quò mentis acies,
 animus, & intentio reparata firmetur; maxi-
 mè verò pietatis & litterarum studioso, qui
 sentinam omnium vitiorum ignauum otium
 vitare cupit. In quo præclare excelluit Lu-
 douicus, vices orandi, legendi, alternans, fa-
 ciendique aliquid operis boni. Fructuosissi-
 mè occupabat singula temporis momenta:
 ne pectoris ager cessante manu, malarum co-
 gitationum sentibus premeretur. Nam sub-
 terfugiens etiam iam tum obses vanorum
 hominum consuetudinem, iungebat se fra-
 tribus Minoribus, claros viros & sapientes
 sequens: sciens malignos comites, quamuis
 candido & simplici rubiginem suam adfri-
 care. Illi, inquit, mecum semper volunt garri-
 re de rebus friuolis & futilibus: inutiles mihi
 eiusmodi sermones; diuina & salutaria audi-
 re iuuat, vnde mihi haurièda sapientia. ô vul-
 gi istius & leuium hominum, sed piorum,
 quamuis eos mundus iste spernat, grata est
 familiaritas: quia ab illis eruditio & pietas,
 vt ab aromatibus bonus odor. Talibus &
 cum Deo est vsus, de quo scriptum, *Et cum* Pro. 3.
simplicibus sermocinatio illius. Porro autem, ^{32.}
 ne suo aliorumue multiloquio sibi peccata
 colligaret, restringebat sermonem; & suis ri-
 pis coercebat, ne citò lutum colligeret amnis
 exundans. Hinc sacerdos factus, secessu &
 seiunctione ab aliis secretus, secum viuens in
 arce quadam, quæ à Neapoli propè aberat,
 vitæ genus cælestis agebat in terris. Quoti-
 die

Temporis
 momenta
 se parce
 dispensat.

Colloquia
 varia vi-
 tat.

Secum
 agit so u:

die cum sacrificasset, vsque ad prandium, totum se dabat lectioni. à prandio non vanos miscere sermones, quod vulgus solet: sed cum viris doctis & religiosis communicare, conferre, disputare de seriis & fructuosis. Exercitia eius post-meridiana. deinde cantum addiscere Ecclesiasticum. postea breuem in cellâ aliquâ capere somnum. demum à conspectu hominum prorsus secedere; in secessu studiosissimè perlegere sacram Scripturam, & monimenta Patrum, maximè verò Meditationes D. Bernardi, cuius librum de Consideratione, equitans quoque in sinu gerebat, cum Epistolis, & aliis aliquot eius opusculis. Fatigatus autem multâ lectione, corporis exercendi gratiâ, Horum co'st. hortum colebat, solum inuertens; lolia extirpans, & iaciens bonam sementem, externo cultu submonens se, quâ animum coleret. Sæper aliquid faciebat boni, semper inueniebatur occupatus. Itaque duæ res quæ languorem adferunt ceteris, illum acuebant, otium & solitudo. Nunquam minus otiosus aut solus, quàm cum solus esset aut otiosus.

CAPVT VIII.

De consuetudine cum probatissimis viris, quorum stabilitus consilio se suaq; regebat.

AD eruditionem & pietatem assequendam plurimum facit consuetudo cum bonis & doctis viris. Itaque talis Ludouicus cualit,

Consilia
sequitur
m. 1687.

euasit, quòd viris grauibus, eruditis, religio-
sisq̄ue semper vteretur: ex quibus delegebat
optimos quosque & probatissimos, quorum
consilio & auctoritate niteretur. Neque enim
suâ solertiâ fretus, facillè quicquam secum so-
let decernere: sed ætatis suæ imbecillitatem,
& inscitiam senum constituebat, regebatq̄;
prudentiâ. Adhibebat in consilium familia-
riter Iacobum ab Osâ Iuris ciuilis clarissi-
mum professorem: qui postquam adlectus
esset in numerum Episcoporum, ac deinceps
in primum ordinem purpuratorum Patrum
S. R. E. Cardinalium, nunc gerit sanctissi-
mum & summum Pontificatum, dictus
Ioannes XXII. Magna quoque illi consue-
tudo cum venerabilibus Patribus, F. Guiliel-
mo à Fulgariâ, & F. Richardo à Mediâ villâ,
Ordinis Minorum S. Theologiæ doctoribus
& eximiis professoribus; & plerisque aliis spe-
ctatâ pietate & eruditione clarissimis viris.

Quâ ra-
tione vir-
tus consi-
liatur &
gloria.

Et quidem hac ratione nedum iuuenes, sed
in vniuersum omnes, plurimû laudis sibi ad-
plicant: quoties de rebus arduis ambigentes,
ad peritorum consilia recurrunt. Sed paucos
profectò inuenias, qui se suaq̄ue sic dispo-
nunt: negligentiores consilij plures, & in re-
bus præcipites. Hi tales cadunt sæpiùs, &
more eorum qui innatant fluminibus ferun-
tur, fluctuant, pereunt. Contrà verò, non mi-
nuunt auctoritatem, qui consilia sua ad pro-
bos consultores reiciunt: sed tuentur potiùs
& confirmant, meliorû iudicia consequentes.

C A.

CAPVT IX.

De eius eruditione, & indefesso labore in
concionando.

HActenus de eius labore, studio & indu-
striâ, post quam, Salomone docente, se-
quetur *sapientia*: quam viâ & ratione conse-
cutus, in salutaribus concionibus maximo
fructu manifestauit. Cum in animum suum
demisisset salubre monitum Hebræi Sapien-
tis, *In maleuolam animam non introibit sapien-
tia, nec habitabit in corpore subdito peccato;*
sed, *Facile videtur ab his qui diligunt eam, &
inuenitur ab his qui querunt eam*: tanquam
alter^a Daniel vir desideriorû,^b proposuit in cor-
de suo non pollui de mensâ regis Babylonis, ne-
que de vino potus eius; ^ccogitans abstrahere à
vino carnem suam, vt animam transferret ad
sapientiam, cuius ardebat vehementi deside-
rio. Docuit itaque illum *Deus scientiarum*
*Dominus, bonitatem & disciplinam & scien-
tiam*, breui spatio temporis. Nam illo dum-
taxat septennio suæ captiuitatis, quo perpe-
tuâ consuetudine fratrum Minorum uteba-
tur, qui illum in disciplinam acceperant; tan-
tos fecit progressus, ne dum in litteris huma-
nioribus, verum etiam sacris; vt in coronâ
etiam doctissimorum virorum prudenter
respondere posset (vti ipse vidi Barcinone)
& argutè disputare. Nec hoc solùm, verum
C etiam

Eccle.
10. 10.

Sap. 1. 4

Ind 6.

13.

4 Dan.

10. 11.

b Ind. 1

8.

c Eccl.

2. 3.

1. Reg.

2. 3.

Pf. 118.

66.

Ad sapien-
tia quo-
modo se
applica-
uerit stu-
dium.

Institutum
à fratri-
bus Mi-
noribus.

etiam tanquã vir Apostolicus, ad omnes paratus conciones promptusque, Clero & populo concionabatur magnã gratiã & fructu. Quin etiam in conuentibus Religiosorum, Episcoporum præsentia, totius quoque Cardinalium Collegij consistorio, imò & Regum Principumq; confessu; aliquoties orationem habuit luculentam & vtilem; tanto ardore, & efficacix neruis, vt non tam ipse, quàm secundum promissum Christi, cælestis patris Spiritus in ipso loqui videretur. In concionibus igitur ipse, etsi corpore debilior, tamen assiduus erat: quòd nosset seruum pigrum & malum à Domino reprobari, *qui talentum acceptum fodit in terram, abscondens pecuniam Domini sui.* & quod alibi scriptum, *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populo: benedictio super caput vendentium.* Itaque dicendi facundiã pollens, ipsius naturæ habitu, tum etiam munere diuino, summæ eruditioni coniunctâ, iam Episcopus non rarò ad alias Diœceses concionaturus acciebatur. Parisiis cum diceret in concione, quæ constabat ex viris doctis, & vniuersitate studiosorum, admirationi fuit: atque eo magis, quòd non ornatu Episcopi, sed (vt erat summâ modestiã) fratrum Minorum vestitu, suggestum ascenderit. Tolosæ quoque vbi Episcopus præfuit, & plerisque aliis locis, etiam bis in die, magno auditorum fructu, sæpe concionatus est. Sed quàm grata fuerint Deo conciones eius, sub vno capiamus exemplo. Mulier

Ardor eius in concionibus & fructus.

Mat. 10

20.

Ind. 25.

24.

Pro. 11.

26.

In eo nullus fastus aut tumor.

lier apud Montem Pessulanum nomine Rosa, vxor Petri à Villars, iurata adfirmavit, à concione beati viri, quam supradicto, loco habuit, feriâ sextâ, filiolum suum vnius anni, strumis grauiissimè laborantem, ab ipso in hunc modum sanatum fuisse. Iam Ludovicus finitâ concione mulum infederat abiturus, cùm mater puelli frænum tenens sanctum orat, vt eum tangat sacratis manibus: spes enim illi, manuum eius contactu, paruulum sanatum iri. Signat vir sanctus infantem signo viuificæ crucis, collum benignè contrectat: & continuò puer nullâ interpositâ morâ reualuit. Caræ Deo eius conciones: quia in illo os, mens, manus concordabant, sermo cum vitâ.

Miraculo
conciones
eius confirmantur.

CAPVT X.

Amore paupertatis euangelica regnum paternum spernit. factus Clericus iterat votum capiendi instituti Franciscani.

A Studiis literariis & assiduis concionibus eius, pergo ad amorem euangelicæ paupertatis, quæ adeò beati viri mentem occupauerat, vt præ Christo, qui propter nos egenus factus est, cùm esset diues, quem velut fasciculum myrrhæ dilectum inter vbera commorantem gestabat perpetuò; omnē gloriam, diuitias omnes, & potentissimum regnum, quod sibi hæreditariâ successione debebat, Regnum hereditarium deserit.

C 2

tur,

tur, prorsus sperneret, & putaret pro nihilo. Pater suadebat vxorem ducere; promittebat-
que si morem gereret, mox ei regnum ces-
surum. At ille nihil magis habuit in votis,
quàm istis temporalibus semel liberari: vt ad-
missus in Domini sortem, soli Deo posset va-
care. Itaque iam initiãdus, cum pro Ecclesiæ
more primam tonsuram acciperet, magnã
omnium admiratione, & fletu circumstan-
tium; flexis genibus, profusis lacrymis, illud
regij prophetæ, regius adolescens ex animo
pronuntiabat, *Dominus pars hereditatis meæ,* Psal. 15
& calicis mei; tu es qui restitues hereditatem 5.

Factus *meam mihi:* reipsã declarans illum verè Cle-
Clericus, ricum, cuius pars & hæreditas Dominus est.
votum
suum te- Et quo se gratius Deo offerret holocaustum,
vat. rursus Deo votum nuncupavit perpetuæ ca-
stitatis, & capiendi instituti fratrum Mino-
rum. cuius desiderio soluendi, quotidie ma-
gis magisque tenebatur: sed amici aliqui id

Proposi- dissuadere, & quidem animo candido. Nam
tum eius & si facilius, (inquiẽbat familiaris quispiam)
quidam & tutior, & minus aliis grauis aut molesta
improbãt est vita otiosorum: tamen fructuosior homi-
num generi, & ad claritatem amplitudinem-
que aptior vita illorum, qui se ad Rempubli-
cam, & ad magnas res gerendas accomoda-
uerunt. Regno neglecto, quæ incommoda
non sequi? rectè administrato, augeri merita:
vt in ipsam tuendam, omnes curæ, cogitatio-
nesque conferri debeant; negligendam nul-
lã ratione. Non adfensit vir sanctus, doctus
ab

1. Cor. ab Apostolo, *Non currendum in incertum: Nec
 2. 26. Rom.,* *facienda mala ut veniant bona.* Intelligebat
 8. vir prudens, Regnum splendidam esse serui- Regnum
 splendida
 seruitus.
 tutem: principem non minus seruire populo,
 quàm principi populum debere. Ibi multa
 dissimulanda, & in multis sæpe conuiuendum.
 & difficillimum res alienas curare, nec offen-
 dere. Igitur mihi, inquit Ludouicus, prius
 pereat, non dico regnum hoc caducum &
 temporariũ, sed orbis totus, quàm in Deum
 meum semel peccem, cuius honorem &
 amicitiam omnibus anteponendam noui.
 simul hanc ipsam vitam contemnendam,
 quæ sine frequẽti noxâ & peccato nõ transi-
 gitur. Domum & regnum paternum con- Et cali
 respectu
 paruus
 est.
 templor: paruum vt est, ita mihi quidem vi-
 detur spectanti ingentia spatia, quæ supra
 sunt: in quorum possessionem animus ad-
 mittitur, si se homo erexerit supra se. diui-
 tiarum mearum Christus. desint cetera, se mihi det:
 solus mihi sufficit. Omnis copia, quæ Deus
 meus non est, mihi inopia est. Qua animi
 magnitudine, nescias vtrum maiore cum lau-
 de regnum reiecerit an meruerit.

CAPVT XI.

*De voto soluendo cogitans fit Minorida, pau-
 pertatem Ordinis illius latissimè
 complectens.*

IN Cathalonix cum esset custodiã, aperuit
 suarum mentis arcanum religioso patri, Deo

*Vota sol-
uenda.*

se vota fecisse perpetuæ castitatis, & capiendi institutum diui Francisci. Deo me obligavi, inquit, nec licet fidem frangere. Detrahunt quidem illi de isto sancto Ordine: sed hoc magis mihi animus accenditur, cùm quod voui præstandum esse sciam. Iustè exigitur ad soluendum, qui ad vouendum non cogitur. Sed & sancti honestique propositi dilatio habet periculum, sæpe etiam ruinam. Itaque vt maturè votum præstem, sententia est. Ceterùm hîc hæreo, & animi dubius sum: ne hîc inter meos notus, an alibi ignotus rem adgrediar. Si in meâ patriâ initor, non licebit illam humilitatem pro voto colere: quòd timeam fratres nimio plus me honoraturos esse. Quare mecum statui in Alemaniam secedere, vel aliam procul quamlibet prouinciam: vbi incognito licebit abluere catillos, coquinari, domos verrere, & cetera humilia facere. Scio etenim nihil esse tam gratum Deo, quàm si vitæ merito magni, tamen non magni sed humilitate infimi videamur: cùm tanto quis pretiosior Deo sit, quanto quis propter eum vilior sibi. Laudat pius pater Ludouici candorem: sed, inquit, vt patrem lateas fieri non potest. Habent Generalis Minister, & Prouinciales vniuersa fratrum suorum nomina. pater facilè poterit rescire, in quemcumque te angulum abdideris, si inquirat. At verò res erit memorabilis exempli, si quod tecum tacitè statuisti, apertè & manifestè facias. Nam quod tu feceris, tu inquam,

*Alema-
niam co-
gitat vbi
inistur.*

*Quod dis-
suadet
viri reli-
giosus.*

quam, id plures sibi imitandum putabunt. Qui in occulto benè viuit, sed alieno non studet profectui, carbo est: qui verò lumen rectitudinis ex se multis demonstrat, lampas est; sibi ardet, alijs lucet. Honesta bonis viris non occulta quaruntur. Cogita, inquit, quantum exempla bona profunt: & magnorum virorum non minus memoriam quam præsentiam vtilem esse. Dixerat bonus pater, cum Ludouicus seriò preces eius efflagitat, vt quod esset salutare, diuino munere consequi posset. Itaque animo versans quod scriptum est, *Vouete & reddite Domino Deo vestro*; libertate redditâ, apud montem Pessulanum adiuit Patrem Ministrum Prouinciæ instituti Franciscani, obnixè supplicans, vt in Ordinem se & sodalitiū susciperet suorum fratrum: sed non est ille ausus, nec reliqui fratres, Regis patris deterriti offensione. At ille cum aliud non posset, quo libentiùs & securiùs ab illis admitteretur, sponsionem voti, quâ iam tunc in illâ captiuitate, instituto Minoridarum se obligauerat, apertè, sollemniter, manifestè renouauit multis circum audientibus. Venit cum patre Romam: ibi Bonifacius eius nominis Papa VIII. voluit eum capere Episcopatum Tolosanum. Ille verò secum statuit non priùs assentiri, quàm voto, quo tenebatur, se liberasset. Summo autem Pontifice deuotioni eius annuente, professus est institutum B. Francisci, Romæ in conuentu. Aræ cæli, susceptus à R. Patre

Sponsionem voti rursus i erat.

Proficitur regulam S. Francisci.

Ioanne à Murro Generali Ministro in Ordinem Minorum. Et ne pater offendi posset, indulget Pontifex, vt occultatâ monasticâ veste, vteretur vulgari Clericorû, quâ etiam aliquanto tempore vsus fuit. Sed non ita diu post, instinctu Spiritus sancti, & amore Christi, ad cuius exemplum & voluntatem se modis omnibus conformare satagebat; illum cultum honoratiorem posuit; ipsâque die S. Agathæ sacrâ, duobus Cardinalibus præsentibus, indutus vili tunicâ, & fune præcinctus, ad præscriptum regulæ S. Frâncisci, à Capitolio ad vsque palatium S. Petri, per luta illa Romana, nudis pedibus conspectus est incessisse. Nec pudebat eum illius voluntariæ paupertatis, & vilitatis sui, aut verecundabatur: quia (quod regula S. Francisci præformat) *Dominus pro nobis se fecit pauperem* Cap. 6.

Lata illi
paupertas
instituta.

in hoc mundo. Paupertatem Christi exemplo, adeò complexus est, vt etiam Episcopus cum esset, vnâ veste monasticâ, vnâ tunicâ, nequicquam pretiosâ, & fune ad cinctum contentus fuerit, & solis ad pedes soleis: non rarò tamen nudus pedes visus est ambulasse. Tota supellex paupertatem testabatur: lectus, cortinæ, fellæ, colores Ordini Franciscano convenientes, cetera omnia. Nihil possidere voluit elegans aut pretiosum, cum & vestem suam paullò cultiorem aliquando egentiori dedit Episcopo. detritâ tunicâ alicuius fratris indui malebat, quàm nouâ. Tanta ei abiectio sui, & contemptus omnium, quæ solâ opinio-
ne

Hom.
37. in
Euang.

ne cara pretio suo vilia sunt. Et hæc quidem displicere amicis & familiaribus, multo aliter sentientibus, patri verò maximè: sed firmabat illum B. Gregorij sententia, *Quasi per odium diligitur, qui carnaliter sapiens, dum prava nobis ingerit, non auditur.* Itaque Evangelicæ paupertatis amore, nihil tam sublime in mundo quod non putaret pro nihilo: nec quicquam tam humile, cui non libenter se submitteret. Clericus omnia aurea & argentea patri reddidit: tantummodò in vsum ligneis & fictilibus contentus. Factum, vt aliquando tonsor barbam illi demturus ad crines rigandos adtulerit argenteam peluem: sed is aspernatus factum hunc, pro illâ vsus est conchâ, quâ equis annona admensurabatur. Episcopus, tandem persuasione bonorum virorum non sui pretio, sed aliorum respectu, paucis argenteis vti permisit; quæ tamen sub mortem iussit distribui pauperibus. Aliquâdo adiit secretò summum Pontificem, & adductis multis rationibus obnixè rogauit, vt Episcopatu sibi liceret defungi: sed non potuit impetrare. Et cum nonnulli id eius consilium imprudentiam interpretarentur: non laboro, inquit, habeant me fatuum, modò onere isto & labore ego semel explicer. Sanè in supremo hoc ordine, multi quidem sunt qui salui sunt, sed & multi qui pereunt: adeoque longè gloriosius fuerit, Episcopatus sarcinam propter pericula deponere, quàm propter periculosissimam gubernationem suscepisse.

Aurea &
argentea
aspernatur.Episcopatu
cupit defungi.

CAPVT XII.

*Ludouicus pauperibus humiliter ministrat. le-
prosum osculatur. cuius merita mira-
culis Deus comprobauit.*

Virtus humilitatis, Euangelicæ paupertatis indiuidua comes, non philosophis sed solis Christianis cognita, mirandum in modum se in illo declarauit: cuius hætenus licet nonnulla exempla præluxerint, nunc tamen de eâ summam non contemnenda proponam. Doctus igitur humilitatem certam tutamque in cælum viam moliri, solet

Alabat quotidie alere viginti quinque pauperes, *XXV. parte* quorum manibus lauandis aquam ipse fundebat, flexis genibus præscindebat panem. *peres,* quoque sabbatho tribus illorum miserimis *quibus* lauabat pedes, exergebatque. Hoc officio nihil illi fuit antiquius. Nam cum Barcinone adhuc esset captus, cænæ Dominicæ die, inuitauit ad prandium suum viginti quinque mendicos, quibus ipse ministrabat, fundens aquam, cibum potumque adferens: qui manu capere cibum non poterant præ valetudine, ipsemet ori eorum ingerebat. denique omnibus pedes abluuit, & exemplo Christi absterfit. Sequenti die Parasceues, factâ copiâ eundi ad vicinam ecclesiam Templariorum, obuium habuit miserum hominem, horribili leprâ infectum: quem publicè osculatus

Alabat
XXV. parte
peres,
quibus
ministrabat.

Pedes
eorum
lauabat.

latus fuisset, nisi fratris sui Roberti (qui postea fuit Rex Siciliae) timuisset offensam. Sed non potuit committere, quin sequente die, in Iesu Christi dilecti sui memoriam, *qui putatus est quasi leprosus, & percussus à Deo, & humiliatus*; accitum leprosum, admirando feruore, pallioposito, complexus amicissime exoscularetur. Quod videns Robertus frater penè obstupuit; & adeò fuit commotus hoc eius exemplo, ut ipse quoque, quem antè valde inhorruerat, vlnis comprehensum, osculo suo, benignissime acciperet. Verùm hæc eius obsequia, & benignitatem in illos misellos, quantis prodigiis Dominus Deus compensauerit, vno atque altero dignum est ut exemplo commonstremus. Petrus à Romas, aliquando petiit à B. Ludouico non sibi, sed cuidam pauperi eleemosynam, molestissimâ scabie laboranti, siue potius leprâ. Ludouicus quandam suam vestem dedit: quam cum miser ille induisset statim conualuit. Item F. Petrus Scarassonus instituti fratrum Minorum, tredecim diebus acutissimâ febre correptus, reualere ut posset, omnino Medici desperauerant. Aderat id temporis B. Ludouicus in cœnobio Brinoniæ, vbi æger frater decumbebat. Hic spe conceptâ in merita sancti, rogauit residuum ciborum eius ad se perferri. Allata est scutella cum aliquanto obsonij & panis, de quo ipse comederat. Febris ille frater simul atque viri sancti gustauit reliquias, sanatus est. Maior itaque

Leprosus
osculatus

Miraculis
officiis
ista com-
pensata

&

& felicior Ludouicus euasit tali ministerio,
quàm regali imperio.

CAPVT XIII.

*Ut se gesserit Ordinibus Ecclesiasticis initiandus.
Sacerdotij dignitas. ab humilibus fratrum
exercitijs noluit abstinere ipse
Episcopus.*

TEMERIORIS ætatis virtutibus incrementa
maiora procedentis adiiciam. Vigesi-
mum ætatis annum cùm exegisset, initiatus
est ordinibus Ecclesiasticis. Nec verò maio-
rum qui sacri vocantur dumtaxat, sed mino-
rum etiam singulorum officijs voluit perfun-
gi. Romæ in Natali Domini, se inter pueros
constituens, non est dedignatus cæreum ge-
stare, Acoluthi officium diligentissimè admi-
nistrans. Consecrandus Diaconus & Sacer-
dos Neapoli in æde S. Laurentij, vbi fratrum
Minorum est monasterium, nullo modo per-
misit sibi quicquam honoris præ ceteris ha-
beri: ita se gerens quasi omnium minimus &
postremus. Summus Pontifex consecraturum
illum Sacerdotem pollicebatur, modò
accederet: noluit venire, & honorem hunc
humilitate declinavit. Sed quis eximiam il-
lius pietatem explicet? durante sacrificio quo
ipse in Sacerdotem consecrabatur, è liquido
canali pectoris sui copiosas lacrymas profun-
debat, contemplans Ordinis illius ac Status
subli-

Ordinū
Ecclesiast.
singulorū
officijs
perfun-
gitur.

Quantā
pietate
se initia-
tus Sa-
cerdotio.

sublimem dignitatem. Agitur in terrâ: sed officium cælestibus negotiis tractatur. Non enim homo, non Angelus, non alia creatura: *Cuius summa dignitas.* sed Deus officium hoc instituit. ipse facit, mutat, sanctificat, hominibus dumtaxat ministerium suum exhibentibus: vt omni iure sobriam à turbis grauitatem, seueram vitam, singulare pondus, dignitas sibi vindicet Sacerdotalis. Quamobrem socio fratri lubens ministrabat in sacris mysteriis Missæ, idque cum omni alacritate. nimirum & se contemplanus, & contra se ponens illum, in cuius honorem locus altari vicinus angelorum choris *Humilitate fratrum officia ipse Episcopus facit.* plenus est. Parisiis aliquando cum esset apud fratres, voluit ex præscripto officium sibi quodlibet demandari etiam tum Episcopo, quemadmodum ceteris fratribus officia singula iniungi solent. Frequenter etiam ex itinere diuertit ad fratres, cum quibus abluebat utensilia culinæ. Factum aliquando, vt Parisiis die Cœnæ Dominicæ, cum vestiuisset centum pauperes, fratribus pedes abluerit: & pro more instituti acceperit corporis castigationem. atque ipso die Paschæ (quod fieri solet) cum S. Theologiæ Magistris orbis, scutras, conchas, & cetera è quibus fratres cibum sumferant, vnà lauerit. *Abluit utensilia.* Omnia sua facta decorabat humilitate. nimirum in toto Pontificis ornatu, nulla gemma splendidior est: citra quam omnis virtutum congregatio, si qua est, velut absque calce arena est. *Omnia opera decorauit humilitate.* Sed iam tu mihi hîc aduerte, Christianæ humilitate.

mili-

militatis amore, regia proles quò se abiecit?
 ad pauperum obsequia, ad vulnera leproso-
 rum, ad quæque abiectissima: vt verè de eo
 dicas, *Posuit in puluere os suum.* Quis non ob- Thre. 3.29.
 stupeat ad hanc, quid dicam? humilitatem,
 an vilitatem, & sui contemptum? Rege in
 hoc múdo quid sublimius? quid inter homi-
 nes maius? paupere mendico, morbido, quid
 abiectius? sed despexit ille profapiâ suâ gene-
 rosior labentis regni fastigiũ, Christi serui-
 tatem regalibus sceptris præferens, humilita-
 temque Christianam regum opibus & su-
 perbiæ præponens. Salubre illud monitum
 in animum admiserat, & factis adæquabat,
Quanto magnus es, humilia te in omnibus, Eccli. 3
& coram Deo inuenies gratiam: quoniam ma- 20.
gna potentia Dei solius, & ab humilibus hono-
ratur. Quamuis ipsâ humilitate nihil sit ex-
 cellius. Nescit extolli, quasi semper superior.
 Nemo id facile affectat, quod infra se posi-
 tum despicit. nihil supra eum est, qui supra
 omnem fortunam est.

Que re-
 galibus
 sceptris
 præstan-
 stor.

Humili-
 tatis lau-
 datio.

CAPVT XIV.

De abstinentiâ eius, & continentia.

Patrimonia quidem, & regni splendorem,
 fortunæ ludibria, & maximarum ærum-
 narum materiam, sic contempsit. Neque ta-
 men hîc sistere voluit gradum, sed semper ad
 maiora conari. Quemadmodum cæmenta-
 rij

rij lapides struunt super lapides, vt muros & domos exadificent: ita ille virtutes virtutibus aggerebat, ad consummandum cumulum absolutæ sanctitatis. Auxit enim continentiam, gulam temperauit, coërcuit luxuriam. ^{Corpus suum macerat,} Corpus suum iam inde à teneris annis, ieiuniis, vigiliis, laboribus detritum, maioribus quotidie molestiis & castigationibus macerabat. Pridie sollempnitatum Domini, beatæque Virginis matris, in cibum, aquam ^{ieiunij,} tantum sumebat & panem, vix necessitati naturæ satisfaciens: vt thesaurum virginitatis in fictili vase, integerrimè conseruaret. Antequam esset receptus ad Ordinem, asperâ ^{Asperâ veste & nodis fune exasperato,} vtebatur interulâ; cingebat lumbos duro fune & nodis exasperato; semper vestitus cubabat: noctu semper, nec rarò interdiu, ferreis catenis fragilem & rebellem carnem suâ manu, aut socij fratris castigans, motus illius & cupidinem summo rigore cohibuit. Nulla ei vnquam cum fæminis consuetudo suspecta, aut familiaritas: quòd sciret paradisi colonum è possessione suâ mulierem eiecisse. Colloquia fæminarum prorsus abhorrebat, præcipuè secreta: auersabatur adspectus, ^{Cum fæminis nulla colloquia, nulla familiaritas.} quibus & fortissimi effæminari possunt. absque probo teste & arbitro, solus non loquebatur vlli mulieri, nisi forsan matri aut sororibus. In testimonium illibatæ pudicitia, vnà in illius cubiculo cum eo dormiebant duo fratres Minores, interdum plures. Cauebat omnes suspiciones, quicquid probabiliter

ter

ter fingi poterat antè ne fingeretur deuitans. Ex multis mirabilibus exemplis prætereundum non est vnicum illud, factum sapientiâ imbuti animi abstinens. Cùm ageret in Cathalonix carcere, suggererunt illi custodes consilium prorsus improbum & noxium. Domine, inquit, homo es, neq; enim caro tua ænea est, sed compactus natusq; vt ceteri: vt ere ætate; solare miseriam hanc consuetudine pulcherrimarum mulierum. curas istas & languorem, cur non leuas aliquâ voluptate? At ille grauissimè ferens, pro mon-

*Exemplū
integerrima
continentia.*

stro eam vocem accepit. Et nõne satis est, inquit, corpus meum à vobis captum haberi? an & animum quoque vinctum vultis? Malum est carcer hic, fateor: sed estne malum vllum turpitudine maius? Et hæc si in deformitate corporis habeat aliquid offensionis: quanta illa deprauatio & fœditas turpificati animi debet existimari? Absit, absit, vt hoc meum corpus Deo dicatum, velociter abeunte adulterem voluptate. Captum est corpus? vel animus liber sit. auertat Deus, vt corpus & animam proiciat in gehennam. Et summoto improbo homine, auersissimum

*Turpes
sermones
à se suisq;
proscriptos
voluit.*

animum ab omni venere declarauit. Sed quid de factis commemoro? quando & turpem sermonem à se suisque proscriptum voluit? In illâ suâ custodiâ legem sanciuir, vt quicumque inhonestum quid, turpe, petulans, scurrile effutisset leuiter, cibum capere deleret nudâ mensâ: quâ agens, nedum in

fami-

familiares, & suos custodes, verùm etiam in germanos fratres, quâ neminem soluendum decreuit: adeò vt ipsemet alioquin innocens, Et graui- ter punit. tamen quia offendisse alij interpretabantur, statutam à se pœnam persoluerit. Exemplum addebat imperio. Quod principes faciunt, præcipere videntur. Volebat suos esse castos: ipse erat. Legem tulit, legi paruit. Rectè facere princeps suos faciendo docet.

CAPVT XV.

De moderatione quâ fuit in reprehensione quam amabat. Detractionem & discordiam execratur. pacem reparat, & caritatem inter dissidentes conciliat.

ERat profectò seuerus castigator improbitatis, primùm suæ, tum etiam alienæ. Vicia vt à se penitus extirparet, contemni desiderabat, non laudari: nec extolli, sed reprehendi, quod rarum in magnatibus. Hinc, P. 01. 27.) probè cum nosset illud Sapientis, *Melior est manifesta correptio, quàm amor absconditus,* & Ind. 9. 8. *Argue sapientem & diliget te:* reprehensiones siue iustas, siue iniustas, æquo ferebat animo, imò etiam amabat. volens & peccanti sibi vitia ostendi, corripì, vt posset corrigi. Socio fratri amicissimo iussit peccata sua se- Corripì volebat vt posset corrigi. riò obseruare, & admonere liberrimè: nec quicquam cominouebatur, etiamsi ille leuissima quæque argueret. Idem ille frater ali-

D quando

quando liberiùs submonuit B. Ludouicum, multis coram astantibus : qui factum indignè ferentes, eius rei gratiã, obiurgatorem illum grauius obiurgarunt. quos Ludouicus benignè mitigans, Hoc in rem meam est, inquit, & sic statui. Nam & amici monendi sunt & obiurgandi, & hæc accipienda amicè, cum fiunt : quandoquidem vera amicitia quod sentit dissimulare non debet. At cuius aures sunt clausæ veritati, vt ab amico vera audire nequeat, huius salus est desperata. An nescitis multo meliùs de quibusdam acerbos inimicos mereri, quàm amicos qui dulces videntur? Illi verum sæpe dicunt, hi nunquam. Adulitoris est iucunda dumtaxat adferre, amici verò etiam tristia : vt te videas, & emendes. Profectò, æquo animo audiendæ reprehensiones, imò conuitia imperitorum : & ad honesta vadenti contemnendus est iste contemptus. Oportet delicto dolere, obiurgatione gaudere : minimè verò obiurgari molestè ferre, & peccasse non angere. Porro autem ipse ab omni vitio liber, etiam alios quã poterat conatus est liberare. Itaque qui suam improbitatem iam superauerat, iure alienam castigare poterat. Nullo modo ferebat quenquam detrahere de alterius estimatione : hominum aures cupiens optimo sermone compleri, diffamatione non pollui. Linguam illam sanguinariam, quæ fraternæ detractionis venena diffundit, prorsus execrabatur. Scribit Salomon, *Si mordeat serpens*

Moneri
& moni-
te amico-
rum est:

Rectè a-
lium mo-
net, qui
vitio ca-
ret.

Eccles.
10, 11.

in

in silentio: nihil eo minus habet, qui occultè detrahit. Nihil tam noxium, atque ad omnem tollendam amicitiam efficax, quàm audire obrectatores, & temerario sensu mentis sequi. Hinc crebræ dissensiones, hinc odia iniusta nascuntur. diabolica lingua de amicissimis facit inimicissimos, concordēsque dissocians grauiissimis facit odiis dissidère. Ille verò offensarum acerbitatem deponens, conciliationem & omnis boni fontem caritatem, & concordiam colens in primis, cunctis suadebat. Quando igitur dissensio ab aliis, ab ipso incipiebat reconciliatio, benignissimè inter alios deponente inimicitias, secumque dissentientium iniuriis ignoscente. Et si quos se offendisse vereretur, non distulit beneuolentiã & humilitate, imò & osculo pacare. Dilectioni studebat & caritati, ex animo dimittens peccantibus, sæpe etiam veniam petens ab eis, qui læserant. Qualem erga se Deum optabat, talem se exhibuit his qui in se deliquerant. Nam frustra quærit sibi Deum propitium fieri, qui citò proximo negligit reconciliari.

Lingua
detra-cto-
ris esse-
tius.

Paci stu-
debat, &
caritati
concilian-
da.

CAPVT XVI.

Cunctis prodesse laborans, etiam Iudeos & Ethnicos Christo conatur lucrari. Egenis & agris liberales eleemosynas dilargiens, pauperes visitat, & captiuos, quos liberauit.

Liberalitati eius nunc vacandum est: cuius probabiles fontes, verum iudicium &

D 2 hone

Omnium
consue-
bat saluti

honestâ beneuolentiâ, quibus cum decora-
tum fuisse in parte dictum est, & nunc paulò
vberius dicitur. Christi amore, omnes mise-
ros diligebat ad salutem. Vt mater omnibus
filiis consultum cupit, sic ille desolatis omni-
bus, quâ poterat & egenis. Neque enim se
intuebatur solùm, aut omnia conuertebat ad
vtilitates suas: sed aliis quoque volebat viue-
re, cum viueret sibi. Prima illi cura cunctos
ad Deum adducere, à quo omnia, ad quem
omnes. Et ideò se præbebat exemplum mo-
rum, simulacrum virtutum. variâ ac molestâ
peregrinationes eius; frequentes ac diutur-
nâ preces, feruidâ conciones, quibus multos
lucrificabat Iudæos & Ethnicos; quibus-
cum sæpissimè congregiebatur, errores eo-
rum fortissimis argumētis & rationibus con-
uincens. Hos de fonte leuabat, illos ipse ba-
ptizabat alacri animo. & ad ducendam vi-
tam necessaria sufficiebat liberaliter. Indidit
ei quoque natura, siue potius Deus auctor
naturæ, singularem adfectum in pauperes &
ægrotos, quibus etiam proprias vestes non-
nunquam largiebatur. Omnes cupiebat
iuuare, quia membra illius magni corporis
omnes. Magnates illi suas vestes detritas cum
donare soleant aliis, ipse puer etiamnum so-
lis pauperibus dare consuevit. Aliquando
cum patre iter habens ex Franciâ, iam Epi-
scopus obuium habuit miserum eleemosy-
nam petentem. Ille memor verborum Do-
miti, *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi*
fecistis;

Matth.
25. 40.

fecistis; monasticam nouam vestem paullo ^{Propria}
 cultiorem exuens, illi dedit. Re intellectâ pa- ^{Uel e exi-}
 ter, iussit quæri pauperem, per omnes vias & ^{tus nudô}
 loca vicina, vt redempta pretio, non ille ve- ^{vesti.}
 niret in suspicionem furti: sed nusquam in-
 uento, creditum est Christum, qui propter
 nos pauper & nudus de cruce pependit, in
 nudi formâ pauperis comparuisse. Episcopus
 iussit inquiri in annuos proventus; de quibus
 tantum vsurpauit, quantum sat esset mode-
 ratè alendæ familiæ: reliqua vniuersa in Ec- ^{Suntus}
 clesiæ & ministrorum vsum, & pauperum, ^{illius mo-}
 miserorumque necessitatem distribuēs. Ma- ^{derati.}
 lebat ipse egere quàm pauperes. cui persua-
 sum erat, valde fœcundum esse agrum pau-
 perum; citiusque reddere, & quidem cum
 fœnore magno, donantibus fructum. Non
 mimos aut ludiones, non canes venaticos,
 non aluit rapaces aues, Ordinis illius primi
 dedecora, non honestamenta: sed quicquid
 supererat, in pauperibus Christo, à quo acce-
 perat omnia, à quo omnia exspectabat, lar-
 giebatur hilariter. Dabat alacri animo, quod
 non poterat retinere: vt acciperet, quod non
 posset amittere. Familiare illi fuit pantochæa ^{Hospitia}
 frequentare & hospitia pauperum obire; in- ^{pauperi}
 firmorum exomologesin & confessionem ^{obiens}
 excipere: quos dulci sermone & beneficiis ^{uistat.}
 elemosynarum confirmabat & solabatur.
 Præcipua illi cura peccatorum conuertend-
 dorum, quibus oratione studebat Deum fa-
 cere propitium, & prospectum de idoneis

Sacerdotibus, ipse paratus, quâ potuit, om-
 nium audire confessiones, Christi exemplo,
 qui tollit peccata mundi, qui vult omnes homi-
 nes fieri saluos. Contigit eum eâdem æstate,
 quâ ex hac vitâ migravit ad cælum, cum pro-
 ficisceretur in Cathaloniam, longo diei illius
 confecto itinere, in Pyrenæis montibus, ve-
 spero inuisere infirmam pauperulam, quam
 serid hortabatur peccata confiteri socio fra-
 tri, aut sibi, nam & ego, inquit, frater Mi-
 nor sum; sed illa noluit. Itaque demulcens
 eam dulcibus verbis, interrogavit, ne luberet
 aliquid comedere. perenti, cibi allati sunt,
 quos Ludouicus propius accedens, & lecto
 eius residens, ori eius ingessit. atque ita ex
 eius attractu multis fuit pediculis opertus.
 Constanter id tulit vir sanctus, & sine motu.
 Nam blanda est, & officiosa semper humili-
 tas. Et cum nihil sit tam regium ac liberale,
 quàm opem ferre miseris: iuuit eum sæpè
 inuisere captiuos, nonnunquam eximere, &
 morti addictos seruare à morte. Centum &
 quinquaginta patris hostes damnatos capitis,
 suâ deprecatione liberavit, sibi gratiam con-
 cilians, patri gloriam. Hæc regi, non ex sæuâ
 animaduersione sed clementiâ. Neq; enim
 minus turpia sunt principi multa supplicia,
 quàm medico multa funera. Igitur quo nihil
 magis secundum naturam, iuuabat cõsortes
 naturæ. Homines enim hominum causâ ge-
 nerati sunt: vt ipsi inter se alij alijs prodesse
 possint.

Io. I.

29.

1 Tim.

2.4.

Pauper-
 ulam in-
 firmam
 visitans
 solatur.

Captiuos
 inuisit &
 liberat.

CA.

CAP. XVII.

Probatos tantum admittit in sortem Domini, quos non vestibus ornari cupit, sed virtutibus. De prudentiâ vitæ totius directrice.

Cant.
2.4.

TEmpus est tandem, præcipua iustitiæ facta paucis perscribere, in quâ semper versatus fuit religiosâ cum obseruatione: quia rationi cupiditatem cum ceteris affectionibus cedere iubens, nihil vtile existimauit, quod æquum videri non posset. ex vno atque altero illius, de ecclesiastici status curâ, exemplo, quid de aliis censendum sit, facile recognoscet. Itaque Ludouicus à Christo inductus in cellam vinariam, ordinatam in se habuit charitatem: quâ instructus, nouerat digna delegere, reprobanda submouere, rectè iudicare; & quæ omnia conseruat, colere iustitiam, quæ tribuit cuique suum. Summo amore complectebatur viros pios, doctos præsertim: quos etsi mundus contemneret, tamen efferebat. Contra verò, potentes, diuites, sed improbos, indignos putabat Dominicâ sorte. Amore & reuerentiâ illius augustissimi Sacramenti, quo nihil pretiosius est in cælo aut in terrâ; magnum habebat delectum ministrorum altaris, in delegendis idoneis sacerdotibus iudicium adhibens, & diligentiam summam. Nam initian-

iustitiâ
raditus
cuique
suum tri-
buit.

In mores
initian-
dorum
serio in-
quirit.

dorum genus, personam, ætatem, institutionem, vitam, doctrinam, fidem accuratè inuestigabat, examinabatque, Canonum præscripta seuerè exsequens. Probis moribus cum honestæ vitæ testimonio conspicuos, dignos censebat Dominico mysterio. Ecclesiastica Sacerdotia antequam cuiquam conferret, merita singulorum librabat, personas non respiciens: mores sequebatur, non fortunam.

*Merita
conside-
rans non
personas.*

& vt rectè beneficia collocaret non spargeret, dabat iudicio & habito delectu, vt perueniret ad dignos. Decet enim actuum, operumque nostrorum testem esse publicam existimationem, ne derogetur muneri: vt qui videt ministrum altaris congruis ornatum virtutibus, auctorem prædicet, & Dominum veneretur, qui tales habeat seruos. Laus Domini vbi munda possessio, & innocens familiæ disciplina. Igitur primùm studebat Clericos mundari, deinde mundare. lucem fieri, post, alios illuminare. sanctificari, tum sanctificare. adpropinquare Deo, & ita demum alios adducere. Magnam agebat curam Ministrorum Christi: arbitratus longè melius esse, Domini Sacerdotium paucos habere idoneos, quàm multos inutiles, qui addant onus, non honorem. Porrò autem nimium corporis cultum, nitidas & pretiosas vestes Clero suo prohibuit: etenim cui cultus nimia cura, magna est virtutis incuria. cum plerumque sordidæ vestes candidæ mentis indicia sunt, & contemptum sæculi

*Vestes Sa-
cerdota-
les.*

pro-

probant. ordini tamen cuiusque veste conueniente volebat ornatos. At verò multo pulchrius animum præferre compositum, quàm corpus ornatum. Proprius ornatus ministri Christi, mores boni. Erat in eo solers & circumspecta prudentia, sine quâ nulla virtus; & hæc aucta Dei beneficio, ars illi fuit & norma viuendi. Ita enim moribus erat compositis & aptis in omni vitæ statu, nusquam vt à recto exorbitaret & decoro. Necdum initiatus probissimè; factus Clericus religiosissimè; creatus Episcopus sanctissimè vixit. Omnem vitam optimè instituit, quasi singulis officiis assuetus, & in omni functione detritus: quia ad omnia adhibebat ductorem bonum, Dei timorem, & rectæ rationis sanum iudicium.

Prudentia fuit illi norma viuendi.

CAPVT XVIII.

*Ludouicus omnibus corporis & animi dotibus
cohonefatus, febriens ad mortem se
parat.*

Reg. 8. **P**ostquam Deus Optimus Maximus, ad sui honorem, & Christianorum bonum, lucernam illam positam super candelabrum omnibus lucere, qui in Ecclesiæ domo, per varias regiones circumduxisset, quasi quandam Israeliticam arcam, ad fidelium confirmationem: visum tandem est illi, Ludouicum admodum adolescentem, traducere ad

D 5 opti-

*Pulchri-
simo cor-
poris eius
magna.*

*Sed ma-
ior in mo-
ribus &
sanctita-
te.*

optimam vitam, in quo emicuit semper singularis gratia Dei. Omnes ipsum videre desiderabant, vultu angelico decoratum, factis mirificum, conspicuum honestate. Mira inerat amœnitas faciei & pulchritudo. in fronte, in oculis, in toto corpore habitare videbatur humanitas: mel in lingua, in pectore candor & simplicitas. formæ gratia & honestatis omnium oculos in se conuertebat, angelum arbitrantium potiùs quàm hominem. Pulcherrimo erat corpore, & aptissimâ compositione membrorum: sed longè pulchrior moribus & sanctitate. Augebantur eius exemplis omnes: tantâ purâ vitâ, tantâ modestiâ & humilitate, maximâ pietate in re diuinâ; feruido dulciq; sermone apud omnes gratiofo; igneis concionibus. Simulacrû iure dixerim omnis virtutis, adolescentem talem, genere tam sublimem, filium regis; cuius ætatem non opes, robur, pompa sæculi; sed pietas, patientia, contemptus sæculi, calidæ preces, diligens industria, abstinentia, & continentia, disertæ & salubres conciones, Euangelica paupertas, humilitas Christiana, grauitas, caritas in proximos, iustitia, & omnes coronæ omnium virtutum ornabant, vt se per omnes numeros hominibus in illo ostenderent. Itaque luce suâ orbem cum illustrasset, imminente transitu eius ad patrem cælestem; post multas peregrinationes in aliorum bonum; reuertens ad Tolosanios suos è Cathaloniâ, vbi sororem reginam inuiserat, Tarascum venit, vbi

Ioã 11. vbi corpus S. Marthæ, hospitalitate in Christum illustris, quiescit. Illic vir sanctus iã nũc cælesti accipiendus hospitio, in laudem hospitiæ Christi insignem habuit concionem. Inde arcem petens, quæ Brincola dicta, febre ^{Febre cor-} corripitur, quâ consumtus est. Et diuinitus ^{ripitur.} certior vitæ finis, studiosè parat se ad mortem. Totus itaque erat in prece, assiduus in contemplatione rerum diuinarum. Admonitiones sacras & pias libentissimè audiebat: & quotidie iuxtim se faciebat sacrificari. Quod aliquando futuri sumus, præmeditabatur, nec, velimus nolimus, abesse longiùs potest. Ita venientem mortem hilaris exce- ^{Vt hilaris} pit, quod se rectè ad illam composuit. Ego, ^{mortem} inquit fratri socio, morior. & gaudeo quasi ^{excipiat,} terram vidēs, venturusq; in portum ex longâ ^{ad illam} nauigatione huius vasti & vndosi maris, quod ^{se compo-} mihi diu in votis fuit: & opratum mihi exposituro hoc graue onus, quod humeri mei ferre recusant. Occupationes illæ me nimium distinent, & deripiunt, vt mecum esse nequeam, nec pro meo arbitrio, Deo, & mihi vacare. Vero verius est, Episcopalem dignitatem, non tam grandis esse nomen honoris quàm oneris. In portum cùm appulero, onus exponam.

CA-

CAPVT XIX.

Sacramentis Ecclesiasticis pro more Christiano munitus, in precibus ad Deum, ad B. Mariam, moritur, etate iuuenis, maturè senex, Massilia sepultus.

Salutis
Christia-
ne viati-
cum su-
mijt.

B. Ma-
riam in-
mociis
mori. ut.

PRO Christiano & Catholico ritu, Sacramenta Ecclesiastica sibi iussit administrari, ipso die festo Assumptionis B. Mariæ Virginis. Et si verò languore grauissimo adeò extenuatus esset, vt præter cutem & vix ossa hæretia nil haberet: tamen Dominico Christi corpori, quod prisco Christiano more adportabatur, honorem debitum voluit exhibere; cum mox è lecto surgens iuit obuiam Christo, tum genua flectens ad altare, sumfit deuotione maximâ Christianæ salutis certum fidumque viaticum. Quintadecimâ valetudinis die, cum ex hac vitâ abiit, post longas orationes in lecto paullulum residens oculos figebat in cælum; & precabatur assidue in hæc verba, *Adoramus te Christe & benedicimus tibi: quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.* Item illud Psalmi, *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas me memineris Domine.* Salutationem quoque ad beatissimam Virginem matrem continenter frequentabat. Rogatus, cur toties repeteret, *Citò moriar, inquit, & B. Maria iuuabit me.* atque ita obdormiuit in Domino, integrâ mente,

Test.
S. Frac.

Psa. 24

7.

te, certis sensibus, Anno salutis nostræ millesimo, ducentesimo, nonagesimo septimo, quarto decimo Kalendas Septembris, feriâ secundâ in octavis Assumptionis B. Mariæ, cuius fuit semper cultor studiosissimus. Facies illius solito videbatur puchrior: nec mortuus, sed dormire. Sepultus est Massiliæ apud fratres Minores, prout testamento suo ipse instituerat; in medio chori, magnificè peractis exsequiis. Conspectus est autem paullò post à fide dignissimis viris, qui se eum vidisse testati sunt in ecclesiæ choro, supra summum altare, formâ quâ notus erat: pontificio ornatu, eoquē splendidissimo; facie admodum lætâ & serenâ, felicitatem beatitudinis æternæ significante: quæ omnium piorum desideratissima est alba meta. Admodum iuuenis obiit B. Ludouicus ætate: sed probitate morum maturè senex, numerum annorum operum multitudine superavit. Canus non crinibus, sed sensibus: senex

Sap. 4. 9. meritis non annis. *Aetas senectutis* (scribit Hæbraus Sapiens) *vita immaculata*. Totius vitæ decursus fuit, viginti trium annorum & sex mensium.

Quartum decimum annum iam agere cœperat, cum obses mitteretur in Hispaniam pro patre; ibi hæsit annis circiter septem. à liberatione vixit plus minùs duo-

bus annis, mensibus decem. *Consummatus in breui expleuit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum*. Et verò quàm

Conspetus est à morte gloriosa formâ.

Aetas illius brevis.

quàm diu vixeris non refert, si rectè: cùm bre-
 ue tempus ætatis, sat est longum ad benè ho-
 nesteq; viuendū. Ante mortem, ille curauit
 sanctè viuere, vt benè moreretur. in vere iu-
 uenili fecit sementem: iam messem immor-
 talitatis. Igitur quamquam initio florentis
 ætatis ereptus, quantum ad gloriam, longissi-
 mum æuum peregit, cuius memoriam exci-
 pient omnes anni consequentes.

Vita bre-
 uis sat
 longa ad
 benè vi-
 uendum.

CAPVT XX.

*Recensentur miracula, & prodigiosa beneficia,
 qua in pios contulit viuus, mortuus, in tre-
 decim paragraphos disparata.*

QVem locum B. Ludouicus obtinuerit
 apud Deum, non obscure declarant fre-
 quentia prodigia & miracula, quibus eū mox
 à morte tum ad sepulchrum eius, tum alibi
 gloriosè voluit illustrare. & operæ pretium
 est, de bene multis nonnulla promere, & di-
 ducere per partes.

§. 1. De mortuis qui reuixerunt.

1. **P**EROTTUS puer septennis continuatâ febre
 ad nonum vsque diem, mortuus est. Pa-
 ter ad flebile funus cari filij eiulās, quem pre-
 ce à S. Ludouico, cui fuerat studiosissimus,
 impetrauerat, rursus ab eo cum voto repete-
 re incepit his verbis: S. Ludouice, carū meum
 pignus,

Septennis
 puer mor-
 tuus vita
 redditur
 S. Ludo-
 uici bene-
 ficio.

pignus, filius meus mortuus est; tu mihi eum donasti cum rogarem: sed nunc quorsum? redde mihi, redde eum. Cum ille miserabiliter huiusmodi verba profunderet, puer reuixit.

2. Domina Sanctia à Tribulâ, enixa est femellam mortuam: illa dolens potissimum animæ damnationem, votum suscepit in sanctum, orans vt vel tantisper vitæ reddatur, dum posset baptizari. Reuiuiscit puella, & baptizata duodecim diebus nihil accepit Puella mortua reuiuiscit vt baptizetur. alimenti. Rursus orante matre, vt si ei uiuendum esset, aliquantulum acciperet lactis: comprehendit statim mamillas, & ad mensem superuixit.

3. Alazatia Lombarda dum gestaret filiolum in vlnis, casu grauissimo puella collisa, moritur. Mater freta auxilio S. Ludouici, precatâ est pro vitâ cari pignoris. Sanctus Ludouicus sibi deuotam exaudiens, mortuam Item alia resuscitatur. filiolum resuscitauit: non solum, sed & ipsam matrem à surditate, quam morbo contraxerat, liberauit. Denique abundè subministravit ei lac, quo caruerat duobus puerperiis.

4. Margareta vxor Cicardi Massihensis reperit filiolum suam Bertranderam infantulam mensis vnus, mortuam in lecto. cuius os & nasus repletus cum esset sanguine, opinabantur oppressione vel ictu, quod plerumque fit, extinctam. Mater vocatis amicis Item alia flebiliter lamentabatur, inuocans pro filia vitâ potentiam S. Ludouici, cunctis similiter supplican-

plicantibus. Puella caput cœpit mouere, aperire oculos, consecuta vitam & sanitatem.

Item voto in sancto etiam alia vota redidit.

5. Rixendis vxor Domini Comparati è ciuitate Carpentinâ, testata est, suam filiam Raimundam conculcatam, fracto collo defunctam, iudicio multorum. Mater facto voto, quòd nudis pedibus sepulchrum inuiseret S. Ludouici, si filia reuiuere: & filia mortua flere cœpit ac loqui, ab omni collisione sanata.

Filius octennis mortuus voto resuscitatur.

6. Bellioda Aquensis vxor Hugonis Lamberti iurauit filium suum octo annorum, quem iuxta se in lecto posuerat, post primum somnum è lecto sublatum humi iacere, & mortuum. Parentes factâ promissione S. Ludouico, ex voto filium viuum receperunt, puer autem retulit parentibus visum sibi virum, sancto Ludouico similem, asperis vestibus indutum, dixisse, Si hic puer etiam talibus vestiretur, posset venire ad sanctitatem, quâ fuit sanctus Ludouicus.

Item alius in partu mortuus.

7. Massilieta Massiliensis peperit filium mortuum: mater magnâ deuotione implorat virtutem S. Ludouici pro filij vitâ. Portatur ipsa volente ad Ecclesiam vt baptizaretur. Et licet Sacerdote ipso iudice videretur mortuus, tamen baptizatur, id multis petentibus. Baptizatus oculos aperit, & ad matrem reportatus, quasi iam in partu editus, *primam vocem similem omnibus emisit plorans.*

Item alius puer.

8. Pontius Durandus habitans iuxta ædem S. Mariæ ab Aquis, filium habuit diurnâ

Sap. 7.
3.

turnâ febre consumtum ac mortuum. Pater inuocato S. Ludouico, ex voto, quem plorabat mortuum, recepit viuentem.

9. Margareta Viella Massiliensis nutrierat ^{item a-} puerum, qui mortuus est. Illa recolens mira- ^{lius.} cula S. Ludouici, vouet sepulchrum visitare, candelam cæream offerre cum frumento, pro pueri salute. Puer qui obierat mortem nocte mediâ, reuixit in aurorâ.

10. Beatrix Portamira ab Aquis, filiam habuit Alazatiam nomine, quæ prægnans de asino cui infederat cecidit, & grauius læsa abortiuit, mortuum enixa masculum: deinde etiam mortuam femellam, liuido corpore, & vt videbatur, brachijs cōfractis. Abortiuo puellæ proiecto in angulum stabuli, mater huiusmodi verbis, poplitibus flexis, & ^{In abor-} magno fletu, precabatur, S. Ludouice te ro- ^{tino grade} go, vt quemadmodum me capitis dolore li- ^{miratu-} beraſti, ita me nunc exaudias. & sicut te vidi ^{lum.} viuentem, sic puellæ huic vitam dones. promisit etiam sepulchrum eius inuisere, & offerre cæream. Sic illa puella abiecta in stabulum, reuixit, & baptizata superuixit ad quatuor circiter menses.

11. Filia Raimundi Vitalis vehementissimâ vi febris abiit è vitâ. Amita eius Catharina Besteria, magnâ pietate puellam commendauit patrociniò S. Ludouici, cuius beneficio ad vitam redijt.

12. Adam Auinionensis bimulam filiam habuit, quæ post grauem infirmitatem mor-

E tua

Imago
cærea vo
uetur pro
vitâ puel
la.

tua est. Pater cum voto opem postulans S. Ludouici pro vitâ filiolarum, sic rogabat; S. Ludouice, redde mihi filiolarum meam viuam & incolumem, quam à te precibus obtinui: te oro vt vitæ redditam rursus accipiam. Quod si mihi præstiteris, tumulum tuum adibo oblatum cæream imagunculam. Patris voto filiolarum aperiens oculos, vitæ restituitur, & valetudini.

13. Ioannis Imberti à Tarasco, Auinionensis Diocesis, filius Poretus grauissimâ febre & copiâ vermium vitam cum morte commutauit. Pater domum veniens, certior factus mortis filij, cum voto eum commendauit S. Ludouico, atq; mox rediit ad vitam.

14. Raimunda Massiliensis dum brachiis gestaret in solario filiolarum, contigit prius cadere paruulam, & deinde matrem super filiam. Paruula læsa est valde, ceruicem fregisse videbatur, iam iam moritura, cum pater eius Petrus Raimundi, suscepto voto in sanctum, nullâ morâ interpositâ vitam impetrauit filiæ & incolumitatem.

§. 2. De claudis & impeditis restitutis.

1. **P**Aupercula quædam enixa mortuum foetum, atque in vtero actum transfuersum, toto biennio vitiatis femoribus, manuum quoque officiis priuata, ambulare non poterat, nec operari. Votum pro salute nuncupat viro sancto, & promittit quâlibet septimanâ

manâ templum eius versuram. Obdormiuit paulisper: expergefacta sanata est.

Templi

vertere

conec

quosdam

pro sua

salute.

2. Sanctiæ Massiliensis coxas miserandum in modum sacer ignis (vt vocant) adeo depa-
stus est, vt nequiret incedere. Senex mater fi-
liæ miserâ commota, voto implorat auxi-
lium S. Ludouici, & integræ restituitur in-
columitati.

3. In opido Sistaricensi, puer Ioannes in-
uentus est à matre pannis infantilibus illiga-
tus tanto perfusus sanguine, vt nihil in eius
corpore mansisse videri posset. Mater vt dili-
genter inspexit, deprehendit filiolo inter ti-
bias & genua ossa deesse, ipsasque tibias præ-
posterè collocatas, gibbum etiam in dorso è
miserabili spinæ flexu, & in occipite inter au-
res nil osseum esse, sed carneû dumtaxat. fi-
lius qui parenti gaudio esset, tristitiæ fuit &
dolori. Mater desperatâ spe remedij huma-
ni, secundum Deum, in S. Ludouicum spem
concepit: vouet magno fletu, si filium sana-
uerit, repræsentaturam se eum ad eius sepul-
chrum cum aliquot careolis. Mira res. Facto
voto filiulus cœpit melius habere, & paulò
post totus conualuit.

Vouentur

careoli duo

salute si ij

4. Massiliæ puer quidam Iacobus nomi-
ne, claudus natus est, miserè retortis tibiis &
pedibus; cuius mater, conspectis miraculis
S. Ludouici, profusis lachrymis implorat
opem viri sancti pro filiolo: vouens si cure-
tur se oblaturam ad eius tumulum careas ti-
bias cum pedibus. Tam prodigiosè statim sa-
natus.

Tibiis

item care-

olis.

E 2

natus

natus est, vt etiam calcei ad pedes informes facti, pedibus ad naturalem formam redditis, rectè conuenirent.

5. Guilielmi Raimundi à Tolosâ vxor, filium peperit contortis tibiis, quasi cancellatis & connexis. Vouet B. Ludouico: quo factò infans incolumis effectus est.

Cruces
item ca-
te.

6. Anselmæ Massiliensî filia fuit octennis, admodum clauda & debilis; nec poterat ire sine fulcris siue crucibus humeris subiectis. Votum facit sancto viro, si filiam liberet, duas cruces ex cærâ ad eius sepulchrum oblatoram. Nullâ morâ post votum, filia crucem alteram abiicit: & paulo post, mater filiam alterâ cruce vtetem ducit ad eius sepulchrum. Votum illa soluit Sancto, qui filiæ integram sanitatem reddidit.

§. 3. *De podagricis & chiragricis sanatis.*

Negligens
voti im-
curati
punitur.

1. **I**Oannes ciuis Massiliensîs grauitè laborabat podagrâ ex altero pede, vt gradi non posset, perpetuumque torquebatur summo dolore. At ille gratiam implorans S. viri, vouet illi tibiam cæream cum pede pro salute. Dicto citiùs curatus est. Sed negligens votum soluere, eodem afficitur tormento: votum autem repetens & reddens, mox liberatus fuit.

2. In opido Carpatacensî, vir aliquis totis octo annis adèd fuit debilis pedibus & tibiis ex graui podagrâ, vt foramina efficeret, per quæ

quæ ossa conspiciebantur, & vermibus scaterent. Omnia consumserat frustra in medicinam. Tunc vxor voto se obstrinxit, visitaturam, si viro sanitas optata redderetur, vnà cum ipso sepulchrum sancti Ludouici, in cuiusque honorem tibias cereas daturam. Maritus cum ire nõ posset, adportatus fuit. Factâ oratione, & voto soluto, qui ambulare non potuit, domum reuertit pedes. ac paucis elapsis diebus curantur tibiæ cum vulneribus.

§. 4. *De febrientibus curatis.*

1. **R**aimundus miles cum tribus continuis septimanis febre laborans etiam periculoso grauaretur apostemate, atq; adeò salus eius, medicorum iudicio desperaretur: de morte eius & exsequiis cogitari cœptum est. At Raimundus ex toto animo inuocat B. Ludouicum, ei que se totum deuouit. Ad-S. Ludouicus ap- paret in formâ fratris Minoris. est vir sanctus sine morâ in schemate fratris Minoris: quo, sacrâ manu affectum locum tangente, rumpitur apostema, & eiectâ sanie, ab imminente morte seruatus conualuit.

2. Massiliæ mulier quædam Maria, continuâ febre adeò infirmabatur, vt omnes de salute Medici desperarent. Vidit nocte vigilans, ad se Episcopum introire ornatu pontificio, magno lumine micantem, qui his verbis affatus est decumbentem; Mulier pro te multi mihi supplicant: vt committere non possem quin te adiuuem. Scito te multa passuram

visum
terribile
cuiusdam
matrone

furam breui, sed tertiâ die ab hinc sanaberis. Quo disparente, Maria perterrita famulas inclamat, & quæ viderat eis exponit. Illæ verò S. Ludouicum fuisse interpretatæ, bono iubent esse animo. Visum verò tale narrabat se vidisse. Animam suam sisti tribunali superni iudicis, & librari omnia facta ad iudicij diuini lancem. Deinde horribilem dæmonem deuorare velle miseram animam. Illa ad terrorem tetri & hiantis diaboli adeò exclamauit, vt omnes stuperent. Tunc sanctus Episcopus prius sibi visus adfuit, & in illo discrimine defensam, suo corpori reddidit, & (quod ille prædixerat) optimè habuit, die tertiâ. Votum ipsa, maritus, filij in Sanctum cui erant deuotissimi susceperunt, & exsoluere quod vouerant.

3. Alia matrona Alazatia dicta filium habuit bimulum, qui toto anno amplius febriens decubuit: habensque in dorso septem magna vulnera, nihil cibi accipiebat. Partuulo constituto in periculo mortis, pia mater vota facit S. Ludouico, statimque puer liberatur febre, eademque hebdomade vulnera illa sanantur.

§. 5. De surdis.

1. **N**obilis quædam puellula, gerulæ brachij excidens, sic conquassabatur, vt multo sanguine per os & nares effluente, sensu audiendi destitueretur toto octennio. Pa-
ter

ter filiolum miserans S. Ludouico promittit, si sanat, sepulchrum eius aditurum, oblaturumque imaginem cæream. vt fecit, sanam recepit filiam.

2. Antonius hieme in montibus iter habens, nimij frigoris algore, triennio obsurdit. Cùm verò nutibus & signis intellexisset, quàm mirifica Dominus ad S. viri sepulchrum efficeret, cum magnâ fiduciâ in Sanctum, vouet, si reddat auditum, inuisurum sepulchrum eius, & cæreas aures oblaturum. Mirum dictu. Voto, quo tam diu caruit, auditum recuperauit.

Aures
cæreas vo-
uentur
pro salu-
te.

§. 6. De mutis.

1. **Q**uidam Petrus nomine, longæ febris molestiâ loquelam amisit, & prorsus factus est mutus. Ducitur à suis ad sepulchrum Sancti: & voti sponsione factâ, illius curæ seriò commendatur. Dum summum inciperetur sacrum, miser Deum & S. Ludouicum ex corde supplex inuocabat: & mox quod animo conceperat, depromsit voce, Sancte Ludouice, inquis, adiuua me. Completo sacro, promptè loqui cœpit, cunctis admirantibus.

2. Alazatia à Campis, Aquensis Diocæsis, vehementi quâdam affectione muta effecta, etiam brachij alterius orbatur officio. voto à matre pro filiâ facto, redditur ei loquela & brachij sanitas.

3. Similiter alia quædam muta manens ad octiduum, corde vouens quod non poterat verbis, subito fandi recepit beneficium.

§. 7. De cæcis qui visum receperunt.

Votum
ad eundem
sepulchrum
eius.

1. **H**Vgo Gregorius orbatu oculis spatio trimestri, summâ deuotione factus est supplex B. Ludouico. Nocte quadam videbatur sibi videre B. Antistitem, templum ingressum, tantâ luce splenduisse, vt oculorum acies non ferrent. Expergefactus pollicetur sepulchrum eius adire, si lumen recipiat. Mox vt vouit, visum recepit, clarè vidit: quod promisit, præstitit.

2. Stephanus ex oculis laborans ambobus, dextrum perdidit, sinistro periclitante. ducebatur vt cæcus. Anxia vxor pro incolumitate viri, freta Dei potentiâ & Sancti meritis, vouit B. viro, & mox oculi incipiunt curari, & paucis elapsis diebus, deterfis maculis quibus adpersi erant, perfectè sanari.

3. Sanctia iureiurando firmavit se habuisse filium quinquennio toto cæcum: vouisse S. Ludouico, tumulum eius inuisuram, & cæream imaginem. Sequenti die cum venisset cum filio, qui cæcus fuerat, factus est videns.

Oculi
cæci S.
Ludouici
vouentur.

4. Petrus Medicus quatuor annis cæcus, audiens S. Ludouici frequentia prodigia, vouet si lumina recipiat, se quartâ quaque feriâ quoad viueret ieiunaturum, duosque oculos cæreos adportaturum ad eius sepulchrum.

Veniens

Veniens Massiliam, ad tumulum Sancti hæret biduo. Tertiâ die cum eleemosynas peteret cum cæteris mendicis, (omnia enim erogauerat in Medicos & peregrinationes ad loca Sanctorum pro recuperandâ salute) cur, inquit vxor, hic stas? cur non hæres & dormis ad sepulchrum Beati, vbi omnes redduntur incolumes? Ille verò, nescis, inquit, mulier, Sanctum, me & hîc posse iuuare, & insomnem, & quocumque loco? Hæc mihi in eum fiducia, quam tu mihi habere non videris. Equidem spero B. Ludouicum me exauditurum esse. Et quomodo? inquit, mulier. Mox ille, video, ait, vnam columnam in templo; video duas, video hanc domû tectam scandulis. discerno colores vestium, quibus homines induti. Sic meritis B. Antistitis diu optatum visum tandem recuperauit.

§. 8. *Amentes & insani facti mentis compotes.*

1. **B**Arptolomeus in villâ Salome adeò fuit alienatus à mente, vt instar rabidi canis, sine discrimine quosuis dentibus peteret. Ligna quoque & lapides, & quæcumque contingere poterat, rodebat, vt homo furiosus. Parentes filij miserâ commoti, factis precibus & voto, miser ille potentiam sensit B. viri; & gratias agens Deo, furore curato, redditur pristinæ sanitati.

2. Apud Niciam ciuitatem, quædam Beatrix nomine, sic omnem rationis sensum

vsuque perdidit, vt nō solūm in homines, sed in ipsum quoque Deum & in Diuos blasphema admodum profunderet. Cetera bona mulier erat, sed hoc affectu superata, non se moderari poterat. Huc illucque cursitans, lapides, ligna, gladiosque arripiens, cunctos petebat acerbis verbis, imò & verberibus. Vinculis constringi oportuit. Maritus condolens de vxoris calamitate, voto inuocat B. Ludouicum, atque eādē ipsā die, optatā valetudine potitur.

Simile
miraculi
habet.

3. Gulielma Massiliensis puella admodum, ratione & iudicio priuata, possessa timebatur à dæmone. Turpia verba citra omnem effutiens verecundiam, faciem vnguis laniabat, lacerabatque vestes: quamobrem vinculis ligari debuit. Parens eius, regis cælestis filium B. Ludouicum orat sui misereri, quia filia sua malè à dæmonio vexaretur. Ducit filiam ad Sancti sepulchrum, cæreum illi vouens: atque post preces, filiam rectè valentem reduxit.

4. Raimundus Oliuerius Clericus ciuitatis Carpentracensis, mentis alienatione adfectus, ne quem læderet, cippo terræ affixo alligari debuit, & catenis multis, idque non paucis mensibus. Parentes statim vt vouerunt B. Ludouico, rediit ille ad sanam mentem.

5. Marinetus ab Aquis, rationis orbatus vsu, noctu, interdiu cantillabat; stulta euomens, proprios non agnoscebat parentes, cum nullum ei in re aliquā iudicium, cibos
etiam

etiam spargebat in humum, nihil cibi penitus sumens. Cæcilia cognata eius supplex facta S. Ludouico, vouet pro eius sospitate. Mox cibum petens, edit, bibit, ad mentem rediit.

6. Raimundus textor iuratus dixit, filiolum suum furialiter correptum infaniâ, dixisse turpia, se patrem momordisse, & alia pleraq; nefanda patrasse. Vouisse se, & orasse S. Ludouicum pro sanitate filij: qui illico intelligens votum paternum, vouet etiam ipse, sic mentis sanitatem consecutus.

7. Ioanni Olerio filia erat vndecennis prorsus sine mente, vt à dæmone possessa crederetur. Voto facto S. viro à patre pro illius salute, mox sanam mentem recepit.

8. Bertranda Moreta biennio & mensibus duobus amens, à voto socrûs suscepto in S. Ludouicum, sensum & intellectum recuperavit.

§. 9. *Naufragi adiuti.*

I. **G**uilielmus Viellus ciuis Massiliensis, dum nauigaret, tanta est exorta tempestas, vt fluctus nauem penè submergerent. Ille factus B. Ludouico supplex, vouet si discrimen euadat, statim aditurum eius sepulchrum, funibus sibi de collo suspensis. Hoc voto pericula cessarunt. & quod valde mire-
ris, mari procellis agitato, & fluctuum impulsu, cadente grandine cum magnâ pluuiâ,
ne

*Nota v-
tun.*

ne gutta quidem nauem contigit, nec tempestas iter rectum tutumque præpedire potuit.

2. Gulielmus Maurella, Nauta Petri Domini Maioricarum adfirmavit, exortâ tempestate & procellâ, è naui tria vela excussa, & incidisse in arenarum insulas: quare moriendum certo certius videbatur. Promittunt vniuersi si euadant naufragium, S. Ludouici sepulchrum adituros, fune à collo pendente: atque hoc voto viui euaserunt tempestatem, & periculum naufragij.

Alia
le.

§. 10. *De epilepticis sanatis.*

1. **B**Eatrix quindecim annis laboravit morbo caduco, sæpius bis tæruè in die morbo correpta. Voto emisso, optatâ valetudine potita est.

2. Alia quædam toto octiduo ferè comitiali hoc morbo vexata, audiens, quanta Dominus Deus ad sepulchrum S. Ludouici efficeret, vouit pro salute quotannis inuisere sepulchrum eius, & sine morâ sanitatem recepit.

§. 11. *A variis morbis & incommodis alij curati.*

1. **I**N Thelonensi diocesi, Gulielmus iuuenis admodum, toto decennio herniâ vehementissimè laboravit. Contigit eum aliquando

quando grauius pondus leuare quàm ferre
 posset, quo rupturâ factâ maiore, ineptus fit
 ad labores quibus victitabat. Et propemo-
 dum ipse desperans, tamen sursum mentem
 leuans, votum concepit in sanctum Ludoui-
 cum vt se adiuuaret. Mirum certè: eodem
 momento integrè reualuit.

*Ab her-
 uia voto
 liberatur
 inuenit.*

2. Filia Guilielmi à Tolone infantula, in
 nasi extremitate tuber habebat, quod illâ
 crescente etiam augebatur. Pater cum deuo-
 tione inuocat B. virum, filiæque impetrat na-
 turalem formam tumore sublato.

3. Petrus Maletus habitans Massiliæ iu-
 xta cœnobium fratrum Minorum, filium
 habuit Brandotum dictum, quem miserè
 torquebat in pedibus sacer ignis, quem vo-
 cant S. Antonij, cuius nec poterat foetorem
 ipsa nutrix perferre. Portatur puer ad tem-
 plum S. Antonij, vbi manet decem continuis
 diebus & noctibus, vel eo maximè quòd af-
 firmarent talem esse morbum: at nihil cura-
 tionis accepit. Tunc parentes vouent S. Lu-
 douico pro salute filioli pedes cærcos ad eius
 sepulchrum, cuius ope sanatus est.

*Item ab
 igne sa-
 cro infan-
 tula.*

4. Gaufridus à Maseto miles iurauit ex
 tibiis se laborasse circiter viginti quinque an-
 nis: quæ pustulis plenæ quotidie fundebant
 ingentem copiam saniei. Is concepto voto
 ad S. Ludouicum, intra triduum meliùs cœ-
 pit habere, nec ita multo pòst perfectè curari.

5. Eminardæ Viliæ à Turbanâ, Vapiensis
 Diœcesis filius, calculum habuit in vesicâ,
 qui

*A calen-
 aliis.*

qui cruciatum gignebat asperrimum, vrinae meatum prohibens. Mater, cum sic toto anno cruciaretur filius, post multa vota, variaque medicorum frustra tentata consilia, fit supplex S. Ludouico pro incolumitate filij: sepulchrum eius visitaturam se pollicetur, daturamque ibi donum cæreæ imaginis. Filius nocte sequenti calculum eiecit bene cruentatum & magnum citra dolorem.

6. Ioannes Galeotus Massiliensis per mare nauigans captus fuit à Saracenis, cum aliis octodecim. Voto facto ad S. Ludouicum, iussu regis Tunesis, eadem die, capta triremis, cum omnibus libera dimittitur.

*A dolore
matricis
quodam
sanatur.*

7. Matrōna quædam iureiurando firmavit, se ex matrice laborasse septem annis: adeoque infirmam, vt per os plurimo eiecto cruore ad mediam diem mortua videretur; & quod in morte fieri solet, animam Deo sapius commendasse. Tandem ægrota mulier inuocato S. Ludouico, vouet visitaturam se eius sepulchrum, si sanaretur, & conualuit.

8. Dulceta vxor Michaelis Bermondi, fœtum mortuum tribus diebus noctibusque in vtero gestans, non potuit eniti, sed extrahi abortiuum oportuit arte medicâ. In ipsâ extractione os ei fractum in corpore, vt toto biennio infelix mulier ne quidem sedere posset, sed decumbere tantum in lecto, omnium vsu membrorum sublato. Illa mori malens quàm sic viuere, vocat chirurgum, postulans cauterio, incisione, quouis modo
sibi

sibi mederi. Antequam chirurgus adesset ad diem dictam, votum in S. Ludouicum concepit pro suâ valetudine, se ieiunaturam semel; visitaturam etiam eius sepulchrum; quoque sabbatho templû eius scopis versuram, si fratres permitterent. & sequenti die perfectè curata est.

§. 12. *Qui de S. Ludouico eiusque miraculis detraxere, grauius puniti sunt.*

1. **G**Unfrida Massiliensis cum aliquando videret S. Ludouici monumentum magnâ fidelium deuotione frequentari, & honorari multis donariis; nec rarò à suâ consanguineâ Richardâ, eiusq; matre Beatrice visitari; quòd ipsa Richarda ad eius sepulchrum à tiliarum infirmitate liberata fuisset: prorupit in huiusmodi verba blasphema, Citò Fratres Minores hunc vt sanctum colere cœperunt, vt rem augeant, candellarum & donariorum oblationibus. & vos quidem eum sanctum asseritis, & facere isthæc miracula: ego verò non credo; neque illi aut eius miraculis quicquam defero. absit vt illi quicquam donem, aut aliquè exhibeam honorem. Talibus verbis, leuatâ manu aduersus eius sepulchrum, Sanctum virum despexit. Impia mulier à piis cognatis grauius obiurgatur: nec tamen desit maledicta talia in Sanctum euomere. At verò paullò post, vt se recēpit, cogitat S. Ludouicum, si beatus

&

*Sepulchrũ
S. Ludouici
magnâ frequentia
visitatur.*

*En ut
blasphem
ma ista
puniatur.*

& sanctus esset, pœnam à se posse reposcere. Si, inquit, intra triduum oculis priuatæ & aspectu, tantum etiam dolorem meo capiti immittat, ne queam dormire, credam Ludouicum esse sanctum. Tertiæ diei summo mane, horribiliter incipit laborare ex oculis, qui prominebant è cauernis suis, nec poterat quicquam videre. atque ipse vultus, ceruix, & totum caput sic transuersum actum est, vt monstrum videretur admodum deforme; & quidem triduo sic acerbissimè cruciabatur. Vexatione igitur intellectum dante, peccatum confitetur. & voto facto S. Ludouico, liberatur ab omni dolore & deformitate, præterquam quod dextro oculo cæca permansit.

*ut aliis
talis.*

2. Gulielmus à Mosato similiter aliquando subsannans miracula B. viri, Amodò, inquit, pro nihilo putabuntur sancti reliqui: iste enim omnia facit. Mox ultio diuinitus blasphemum consequitur. Nam illud os eius impium statim torquetur in partem posteram, ne amplius loqui posset. Sed & dexter oculus liquore fluente & dolore afficiebatur. Nouem diebus in hac pœnâ exactis, tandem miser culpam fatetur: & sancti potentiam quam irriserat, suppliciter incipit inuocare, ex animo vouens ad sepulchrum eius datum caput è cærâ, quò etiam peregrinaturus esset. Quod vouerat fecit: & antequam templū egrederetur, pristina redditur compositio capitis, omni pœnâ sublatâ.

3. Domi-

*Vouet pro
salute cæ-
pni cæ-
reum.*

3. Domina Beatrix ab Aureolo videns ^{Oblatio-} multa ad reliquias S. Viri offerri donaria, ^{nes va-} candelas, imagines; audiensque quotidie fie- ^{rie ad} ri stupenda miracula, nihilominus incredula ^{eius rei-} permanens, omnia contempsit & sannauit. ^{quias.} Domum rediens, & assidens mensæ panem scissura, pollicem vehementer vulnerat per medium vnguem, ex quo grauissimè affligebatur. Cùm autem sæpiùs oculos mentis pœna aperit, quos culpa clausit: cognouit hanc esse pœnam suæ temeritatis in Sanctum. Itaque suppliciter orat B. Ludouicum, vouens ei in rei memoriam cæreum pollicem pro sospitate. Mox pollex curatur à vulnere & dolore, beneficio S. Ludouici.

§. 13. *Sepulchrum eius visitantibus mens sanior reddita.*

Cumplura talia prodigia & miracula fecisse legitur, & varia contulisse in malè affectos beneficia, quæ breuitatis gratiâ omittimus. Sed non prætereundum quod multorum est confirmatum testimonio: nimirum visitantibus sepulchrum sacri ^{Mens vi-} illius corporis, mentem sæpe mutatam in ^{sitantium} melius, mirabili affectione, cum admiratio- ^{sepu chri-} ne multorum. Nec dubium sacris illis re- ^{eius mu-} liquiis diuinitus talem efficaciam concessam ^{tat. in} esse. ^{me.ius.}

CAPVT XXI.

Refertur in numerum sanctorum.

Miraculorum itaque gloriâ, & famâ eximiam sanctitatis per orbem currentibus, & ad sacras eius reliquias pro suâ salute fidelibus vndequaue aduolantibus, Tolosani & vicini, missis legatis ad D. Bonifacium Papam VII. mirabilia illius prædicant, extollentes magnis laudibus: postulantes, vt quem Christus sanctorum collegio sociauerat in cælis, hunc quoque ipse Vicarius Christi Diuorum catalogo adscriberet in terris. Pro canonizatione illius multum instant. Etsi verò Sûmo Pontifici vita B. Ludouici & sanctitas probè cognita esset (viderat etenim partim, & alia à fide dignis acceperat) distulit tamen vir prudens negotium: ne quis calumniari posset, præproperè rem attentatam, ad spectu magis generis & fortunæ, quàm meritorum. Interim migrat è vitâ Bonifacius, cum rem esset aggressus, & infectâ reliquit successori Benedicto, qui citiùs & ipse defunctus facere non potuit. Clemens V. in eius locum susceptus, sollicitatur à variis nuntiis Ecclesiarum Gallia Narbonensis, quæ nunc Prouincia dicitur, ad rem aggrediendam. Qui Cardinalium consilio, commisit duobus Episcopis, vt seriò & diligenter in vitam & miracula B. Ludouici inquirerent. Veniunt Massiliam cum mandatis, & studiose ex-

sè exsequuti, omnia Sanctitati illius perscribunt. Deinde res datur Cardinalibus multò diligentissimè examinanda; interim etiam moriente Pontifice hoc, cum in demortui Clementis locum succedit Ioannes XXI I. Cui diuinâ prouidentia Io. XXI I. fuit decessus. olim socius & magister S. Ludouici, qui etiam illi adfuit morienti. Nec dubium quin diuinæ prouidentia nutu hoc pietatis officium huic seruatum sit, cui omnis vita, mores, pietas, mors, & omnia acta B. viri probè cognita & perspecta essent. Sed ne præcipitanter agere videri posset, rursus omnibus & singulis actis eius à Cardinalibus accuratè examinatis & adprobatis, eorundem fratrum suorum Cardinalium, omniumque Prælatorum præsentium (Auinione, vbi Apostolica sedes id temporis erat) consilio & adsensu, magnâ pompâ & sollemnitate, anno 1600. ecc. XVI. refertur in urDiuis. salutis reparatæ millesimo, tercentesimo, sexto decimo, septimo Idus Aprilis B. Ludouicum in sanctorum numerum retulit, Pontificatus sui anno primo.

CAPVT XXII.

De translatione illius corporis sacri.

ANno verò tercentesimo supra millesimū & decimo septimo, sexto Idus Nouēbris, missis à Pontifice summo Cardinalibus, & aliquot Episcopis, præsentem germano S. Ludouici fratre, Roberto Siciliae & Ierusalem

*Trans-
fertur ad
summum
altare.*

salem Rege, eiusque vxore reginâ, cum Re-
ginâ Franciæ consanguineâ S. Ludouici, cum
multis aliis Principibus & nobilibus viris; in-
numerâ quoque populi inundante multitu-
dine, qui ad S. Ludouicum interpellandum
cum muneribus, & ad celebrandum transla-
tionem sacri corporis confluxerant; thesau-
rus ille sacri corporis B. Ludouici, in medio
chori hætenus sepulti, transfertur ad sum-
mum altare thecâ argenteâ inclusus, iustis
magnificè factis more regio, & quæ deceant
sanctum. Ibi hætenus ipsum deuotè inuo-
cantibus ingentia beneficia conferuntur,
eius meritis, & gratiâ Domini nostri Iesu
Christi, qui est benedictus in æternum.

A M E N.



S. D. N.

S. D. N. IOANNIS
PAPÆ XXII. DIPLOMA,

Quo S. Ludouicus Episcopus Tolofanus in-
ter Diuos adnumeratur.

*Ioannes Episcopus seruus seruorum Dei, Vene-
nerabilibus fratribus, vniuersis Archiepisco-
pis & Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus,
Prioribus, Decanis, Archidiaconis, & aliis
Ecclesiarum rectoribus, per vniuersum or-
bem constitutis, Salutem & Apostolicam
benedictionem.*

§. I.



OL oriens mundo in al-
tissimis Dei, Deus Dei Fi-
lius, ex paterno vtero ante
Luciferum genitus, Deus
verbum, qui rerum in prin-

Pf. 109

3.

Pro. 3.

19.

cipio fundans terram in sapientiâ, cælos pru-
dentiâ stabiliuit; adornando cælos sideribus,
germinantibus cunctis terram. qui que in fi-
ne temporum, pro humani generis salute
nostram assumendo naturam, textit nube
nostræ carnis fragilis semetipsum: nunc ho-
râ instante nouissimâ, illuminando per cun-
cta respiciens, opus produxit mirabile, clari-
tate gloriæ suæ plenum, bonitatem suam
monstrans magnificè, sponsam que suam san-
ctam matrem Ecclesiam reddens nouitate

S. Ludo-
uicus opus
Dei mi-
rabile.

F 3

tam

tam claræ sobolis lætabundam. Nam *qui fa-* Pf. 135.
cit mirabilia magna solus, dilectum suum con- 4.
 fessorem eximium, beatum videlicet Ludo-
 uicum puritate candidum, caritate feruidâ
 rubicundum, electum ex millibus, produxit
 nouiter, vt exemplar præfulgidum cunctis
 fidelibus imitandum; eius vitæ singularis ex-
 cellentiam signis probans, & prodigiis co-
 ruscantibus, crebris miraculis manifestans.

§. 2. Igitur lætentur cæli & exultet terra,
 iucundetur pariter totus orbis. Nam qui ef-
 fulsit in templo, dum viueret in medio ne-
 bulæ suæ carnis, vt matutina stella ac luna
 plena solari lumine, veluti sol refulgens in
 suâ formosus stolâ, in virtute multâ repenti-
 nè ad summa graditur, regalibus dignus ad-
 spectibus, vt cændens liliū, ac odoris suauis-
 simi rosa rubens. Huic cæli præstant hospi-
 tium, cæli ciues vt sibi conformem & com-
 parem ad suum hunc consortium admittunt
 in supernis. Christus hunc reficit, idem ipse
 prandium, & conuiuia. Hic felix Sanctus ex
 Regali profapia, Pf. 137.
 regali profapia, patre videlicet claræ memo- 6.
 riæ Carolo Rege Siciliae; matre verò carissimâ
 in Christo filiâ nostrâ, Mariâ Siciliae Reginâ,
 ex Hungariâ originem suam trahens, altum
 sui generis recusauit sapere, humilia semper
 diligens & amplectens. Sciebat namque
 quod *excelsus Dominus, alta de longinquo pro-*
spiciens, humilia è vicino cõtemplatur. Quam-
 quam autem singula præclara opera lucidæ
 vitæ suæ verbis paucis enarrari non possunt,
 aliqua

Encomia
eius.

Regalis
profapia.

aliqua tamen de quàm plurimis ad vtilitatem legentium referemus: vt ex his Deum Patrem glorificent, & in his reperiant viuendi regulam, quam sequantur.

§. 3. Sanctus iste, sicut probatum est testimoniis fide dignis, in ætate existens tenerâ, sub magistri religiosâ diligentia, cum suis fratribus tenebatur. Ipse tamen ibi maturis intendendo moribus, sub tenello pectore gestare se senilem animum ostendebat. Ductus in Cathaloniam cum duobus è suis fratribus, datus obses pro liberatione ante dicti Regis, tam feruenter dedicauit se studio, quòd infra septennium, quo etiam ibi obses fuit, sub instructione fratrum Minorum, quos secum habebat in socios; in primitiuis scientiis & sacrâ paginâ sic profecit, quòd vir Dei polleus ingenio, de prædictis scientiis, non solum publicè ac priuatè subtiliter disputare valeret, sed & sollemniter Clero ac populo proponere verbum Dei: vt putaretur scientia hæc infusa sibi magis diuinitus, quàm humanitus acquisita.

Obses datus cum duobus fratribus.

*Eccli.
35. 21.*

§. 4. In orationibus sedulus & deuotus, mentem ad Deum eleuatam tenuit: profectò sciens quòd *oratio humiliantis se nubes penetrans* pro exauditionis suffragio Deum adit. In tempore namque dicto, sacramentali confessione præmissâ, Missas audiebat deuotè. in magnis verò festiuitatibus, cum præparatione multâ corpus sumebat Dominicum. Factus autem sacerdos, diebus singulis

Pietas eius in Missis.

lis celebrabat. Audientiæ verbi Dei insistebat attentè: pro pastu verò animæ, in scripturis deuotus studens, habebat ad hoc pro solatio sanctos libros. 1. Mac. 12.9.

Castitas
illibata.

§. 5. Castitatis autem amor à puero affecterat eius mentem adeò, quòd ob ipsius fidam custodiam, mulierum consortia fugiebat omnino: intantum quod nisi forsan cum matre & sororibus, solus cum solâ, nullo vnquam tempore loquebatur. *Mulierem namque amariorum nouerat esse morte.* Verba etiam inhonesta horrebat audire, ac loquentes talia grauitè arguebat: attendens prudenter quod *corrumpunt mala colloquia bonos mores.* Fratres nihilominus duo & interdum quatuor in suâ iacebant camerâ in suæ testimonium nitidæ puritatis. Cum Apostolo Paulo sobrietate cibi & potus, corpus suum castigabat affidue: seque frequenter manu suâ, quandoque autem alicuius fratris consocij cum catenis ferreis disciplinans. vestiendo, pro camisiâ rude stamen, & deferendo ad nudum, pro cingulo chordam grossam, ipsam carnem in seruitutem redigebat. Eccl. 7. 27. 1. Cor. 13. 1. Cor. 9. 27.

Voto se
consecra-
uit Or-
dini Mi-
norum.

§. 6. Summo etiam studio terrena cuncta calcare studuit, ex desiderio æternorum. Considerans etiam sanctus iste quòd *mundus totus sit positus in maligno*, quodque *cum concupiscentiâ suâ transit*: ipsum fugiendo deseruit totaliter & contempsit. Nam rediens de Cathaloniâ, cum rege prædicto, votum quod de intrando Ordinem fratrum Minorum 1. Io. 5. 19. Ind 2. 16.

rum

rum in obsidione fecerat, in conuentu eorundem fratrum de Monte Pessulano, voluit adimplere. Sed videns quod timore dicti Regis ipsum fratres recipere non audebant, votum ipsum sollempniter iterauit.

§. 7. Et quia vouentibus præceptum nouerat de reddendo: suadenti felicis recordationis Papæ Bonifacio prædecessori nostro, quòd ad sensum præberet prouisioni de se factæ Ecclesiæ Tolosanæ, nullatenus consensit, quoad usque votum dictum quod fecerat compleuisset. Cuius deuotioni annuente prædecessore nostro prædicto, habitum Ordinis prædicti suscipiens, in præsentia bonæ memoriæ Ioannis Episcopi Portuensis, tunc eiusdem Ordinis Generalis Ministri, expressam professionem flexis genibus in manibus eius fecit: sicque prouisioni prædictæ suum præbendo ad sensum, mandatis Apostolicis obediuit. Et quamquam de iussu prædecessoris eiusdem, dictum habitum velatum portauerit vsque ad festum beatæ Agatæ tunc vicinum; in dicto tamen festo, in præsentia duorum Cardinalium recepit publicè; ac sic ex tunc portauit continuè, atque ipso die ad sanctum Petrum patenter detulit peditando. Miranda res, & aliàs insueta. vir namque virtutum positus in sublimi, iuri primogenituræ renunciauit & regno; regalis solij spectatâ pompâ pro regno corruptibili, æternum ac plenum delitiis regnum mercans.

*Episcopus
fit Tolosa
nus post
votum
soluunt.*

§. 8. Mirâ verò compassione ad paupe-

F 5

res

*In pau-
peres li-
bera. is.* res ferebatur, quibus largas tã priuatas quàm
publicas eleemosynas faciebat. Vnde iam fa-
ctus Episcopus Tolosanus, per vnum suum
familiarum secretarium mandauit inquiri de
suorum quantitate reddituum, quantumq;
sibi sufficeret pro moderatis expensis facien-
dis & rationalibus: volens quod totum resi-
duum in sustentandis pauperibus poneretur,
quamquam Prælatus tam magnus esset, &
filius tanti Regis. Cùm autem iret Parisios,
pauperem quẽdam nudum reperit, cui mul-
tum compatiens absconditè cappam contu-
lit quam portabat, sibiq; fecit aliam secre-
tè adportari.

§. 9. In hoc etiam Christi imitatore ni-
hilominus humilitas vera fulsit. Attendit
namque quod Deus qui mœrentes sospita-
te erigit, ponit humiles in sublime. Ipse enim *Iob 5.
11.*
*Pauperes
alio xxv.
ipsis quo-
tidie mi-
nistrans.* viginti quinque pauperes in domo suâ refi-
ciebat quotidie, aquam manibus infunde-
bat, manuq; suâ ipsis fercula adponebat, ac
panes scindebat eisdem, etiam genu flexo: in
ipsis Christo seruire & ipsum recipere se de-
lectans.

§. 10. Hospitalia pauperum aliquoties
visitabat. Sciens denique quod qui vestiun-
tur mollibus in hoc à Domino non laudan-
tur, post Diaconatus sumptum Ordinem, *Mat. 12
8.*
*Ipse pau-
peratis
amator.* semper veste humili vsus fuit. Post ingres-
sum verò prædicti Ordinis, vili habitu ac
bruno colore in tapetiis, cortinis, & lecti co-
opertoriis utebatur.

§. 11. Pon-

§. 11. Pontificatus etiam officium exercebat cum diligentia seruus hic Christi fidelis & prudens; Missas dicendo assidue, deuotissime Ordines celebrando, Clericos quibus de beneficiis prouidere volebat examinando de virtutibus & vitiis, & articulis fidei, vitâ, & moribus diligenter. Iudæos & gentiles zelo feruens Dei, inducebat sedule ad baptismum, ac quosdam eorundem sacro de fonte leuauit.

*Præa-
fungitur
Sacerdo-
tali mu-
nere.*

Psalm. 41. 3. §. 12. Demum gloriosus iste Sanctus, cursu vitæ consummato, feliciter ad Deum fontem viuum, quem auidè sitierat migraturus, infirmitate decumbens vltimâ, deuotissime sumpsit corpus Dominicum; quamuis debilis, de lecto exsiliens in occursum Domini Saluatoris. Cruce autem sibi datâ, per quendam ex sociis, deosculabatur illam genuflexus in lecto, vt potuit: ac in oratione deuotâ & silentio postmodum diu mansit.

*Ad mor-
tem se
parat.*

Gal. 6. 14. In Cruce namque Domini nostri Iesu Christi, & non in alio didicerat gloriari. Tandem gloriosam resolutus in mortem, qui hîc viuus ambulauit in innocentia in medio domus suæ, ad Deum suum contemplandum in gaudio, facie reuelatâ in suâ innocentia est ingressus.

§. 13. Verùm quia decebat multum diuinæ magnitudinem bonitatis, quod illum quem in terris ipsum præclaris adornando virtutibus, suæ imagini fecerat tam conformem, secum ostenderet regnare in cælis, vir-
tutis

Miracula eius post mortem. tutis suæ testimoniis : quædam per eum miracula operari dignatus est, quæ ad Sancti huius declarandam gloriam, præsentibus du- ximus adnotanda.

Mortui renixit. §. 14. Quædam namque duorum annorum puella, quæ vi febris, quam passa fuit duobus mensibus, exspiravit. Facto voto per patrè Sancto isti, qui ipsi imaginem de cærà offerret, si vitam à Deo filix suæ impetraret, resuscitata, vbera matris suxit.

§. 15. Quidam etiam quinque annorum puer, vehementiâ febris continuæ vitâ functus, facto voto per patrem, est vitæ pristinx restitutus, nec dictæ febris in eo adparuit vllum signum.

§. 16. Quædam puella annorum septem, quæ per septimanas tres, febrem passa continuam, exspiravit : facto ad dictum Sanctum voto per suos, spiritum recuperavit & reuixit.

Abortiuū mirabile vitæ red- ditur. §. 17. Quædam denique mulier, quæ duas conceperat filias, vnâ illarum in ventre mortuâ, ex casu dictæ matris de asino, & in eius ventre ex morâ diutinâ putrefactâ, cœpit puerperio laborare. Cumque dictus partus iam putridus per frustra fuisset extractus, & alia filia mortua iam educta esset obstetricum ministerio violenter, & proiecta in stabulo super fimū : emissio ad ipsum Sanctum voto, quod si partus ille resurgeret, vnam sibi cærà imaginem præsentaret, puella palpitare cœpit, & baptizata septem mensibus superuixit.

§. 18. Qui-

§. 18. Quidam etiam puer ætatis annorum septem, dum sub lecto in quo cum suis iacebat parentibus, repertus mortuus, rigidus & frigidus aliquo tempore permanisset, facto per parentes ad hunc Sanctum voto, fuit diuinitus suscitatus.

§. 19. Mulieri cuidam quæ propter vehementem infirmitatem diem extremum clauferat, emissio per suos ad Sanctum istum voto, eius meritis reddita fuit vita.

§. 20. Quædam puella nobilis, quæ ex casu ad terram de nutricis brachiis, per octo menses passa fuerat surditatem, facto voto ad prædictum Sanctum per patrem, à dictâ surditate ad plenum extitit liberata. *Surda sanatur.*

§. 21. Quidam quoque cum post fortem febrem continuam perdidisset loquelam, & sic mutus per mensem integrum permanisset, adductus ad sepulchrum Sancti huius, fuit ibidem loquelæ finitâ Missâ restitutus. *Muti loquuntur.*

§. 22. Mulier quædam quæ subito muta, & impotens de vno brachio facta fuit, hac infirmitate sibi per mensem durante, emissio voto per matrem, statim ad sanitatem pristinam est reducta. Quædam etiâ mulier dum ex partu quodam violèto de puero mortuo, & in eius vtero trãuersato, contracta in manibus & pedibus & fœmoribus, biennio permanisset, facto voto ad Sanctum præfatum, quòd si curaretur, scoparet in totâ vitâ Ecclesiâ, in quâ iacet, dormire cœpit: & expergefacta à morbo prædicto penitus est curata.

§. 23.

*Podagri-
ei curan-
tur.*

§. 23. Vir quidam passus annis sex guttam in manu & brachio, ventre ac humero; facto voto, quod eius limina visiteret, statim fuit sanitatis beneficium consecutus.

§. 24. Quidam denique presbyter passus guttam in latere, quæ ipsum afflixit grauius diebus septem, facto voto ad memoratum Sanctum, diligentius eius tumulum visitando, recepit continuè sanitatem.

§. 25. Quædam mulier quæ per octo annos morbo Epileptico quasi quotidie grauabatur, emisso voto, quod sepulchrum eius, si curam reciperet, annis singulis visiteret, curam recepit, sicque ex tunc de morbo ipso nihil penitus sensit.

*Atactu
vestis
S. Ludo.
quædam
ægra sa-
natur.*

§. 26. Monialis quædam quæ post febrem longam, quam passa fuerat, dolorem incurabat in omnibus membris suis, intantum quod in duodecim diebus nisi alieno adiutorio de lecto non poterat se mouere: portato sibi pedali panno, qui quondam Sancti huius dicebatur fuisse, ac sibi applicato ad carnem, sana & incolumis est effecta.

*Punitur
qui San-
cto detra-
xerat.*

§. 27. Cum homo quidam, qui miraculis istius Sancti detrahere nitebatur, reuersationem faciei & oculorum turpiter incurrisset; sicque manens per dies sex, huic Sancto cum deuotione quâ poterat se deuouisset; ad sepulchrum eius veniens, & offerens caput careum, antequam exiret Ecclesiam, perfectè reperit se curatum.

§. 28. Hæc sunt mirabilia opera solius
Altis-

Altissimi, quibus & aliis quàm pluribus mirificare voluit Sanctum istum, ac toti mundo reddere venerandum. Laudetur igitur magnificè Deus noster, cuius dextera huic Episcopo confert stelliferum regni diadema. Applaudant & isti pariter cæli ciues, quorum cœtibus Sanctus hic sole splendidior est insertus. Canant quoque altissimè Franciæ, Siciliæ, ac Hungariæ regna felicia: de quorum horto candoris niuei flos erupit, quorum vitis germinat dulcem vuam; cuius liquor cælos lætificans abundè funditur in calice summi Regis. Lætetur insuper ciuitas Tolosana, tanto ditata Præsule, quem apud Deum aduocatum habet sedulum & patronum. Verè felix es ô tu Massilia, facta diuinorum aromatum tam sancti corporis apotheca. Sed & Fratrum Minorum Ordo conspicuus, nouæ laudis canticum promere non desistat: in aulâ cælesti tã præclarû alumnum diuinis festiuè conspectibus repræsents.

§. 29. Ceterùm, quia conuenit, vt quem ^{Mundus colat què Deus honorat.} Dominus in cælo magnificat, mundus colat: nos de sanctitate vitæ, ac veritate miraculorum ipsius, inquiri fecimus diligenter. Et quia post inquisitionem solertem, & studiosam examinationem, & discussionem sollemnem, supplicatione deuotâ & humili Prælatorum omnium tunc apud sedem Apostolicam existentium cum instantiâ requisiti: de fratrum nostrorum consilio & adsensu, de omnipotentis Dei virtute confisi, auctoritate quoque

*Adscribi-
tur cata-
logo San-
ctorum.*

quoque beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius & nostrâ, ipsum septimo die Aprilis, sanctorum Confessorum catalogo duximus adscribendum. Ideo quæ vniuersitatem vestram monemus & exhortamur attentè, per Apostolica scripta vobis præcipiendo mandantes, quatenus quarto decimo Calendarum Septembrium, festum eiusdem Episcopi & Confessoris deuotè celebretis, sollemniter; & faciatis à vestris subditis deuotione congruâ celebrari: vt piâ eius intercessionem hîc à noxiis protegi, & in futuro sempiterna gaudia consequi valeatis.

*Indul-
gentiæ ad
eius se-
pulchrum*

§. 29. Et vt ad mirabile eius sepulchrum ardentius & affluentius Christiani populi confluat multitudo, ac celebrius eiusdem Confessoris colatur festiuitas: omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui cum reuerentiâ illuc in eodem festo annuatim accesserint, ipsius suffragia petaturi, de omnipotentis Dei misericordiâ, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, duos annos, & duas quadragenas; accedentibus verò ad prædictum sepulchrum, annis singulis infra eiusdem festi octauam, vnum annum & quadraginta dies, de iniunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hâc paginam nostræ approbationis, confirmationis, & volûtatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Datum Auinione septimo idus Aprilis, Pontificatus nostri anno primo.

F. HEN-

F. HENRICI SEDVLI

ORDINIS MINORVM

COMMENTARIVS

Ad vitam S. LVDOVICI Episcopi
Tolosani.Cic.
Lxi.

ERE ac sapienter iam olim ab eloquentia Romana principe dictum, Omnia præclara rara, nec quidquã difficilius, quàm reperire quod sit omni ex parte in suo genere perfectum. quod equidem sub uno exemplo sumto ab agriculturã declarare lubet. Messores etiamsi diligentissimè demessas segetes colligant in manipulos: tamen nullos inuenias tam operosos, quorum nonnulla spicæ, manus oculosq; volentes nolentes non prætereant. Ita prorsus quibus historiam scribere propositum est, plerumque contingit. nam licet ut omnia complectantur adhibeant summam diligentiam, fieri tamen vix potest, quin aliqua velut paucas spicas instar messorum post se relinquunt. Quod cum de quolibet sine inuidiã, sine notã dici posse facile concesseris, poterit etiam quiuis de scriptore vitæ S. Ludouici adfirmare: quia præcipua tradidit, & nonnulla præteriuit. At horum ego, quo perfectior historia sit, in meo breui Commentario (bonorum subinde aucto-

Nihil ex
omni par-
te perfe-
ctum.

G rum

Spicilegium hic
Commen-
tarius re-
lictorum.

rum salutaria monita interponens) spicilegium
facio: pauca ab illo relicta colligens, quæ ad il-
lustrandam historiam vitæ beati viri mihi fa-
cere videbantur.

IN CAPVT I.

Ludouicus patre Carolo I. rege Siciliae.]
Carolo hinc II. pater fuit Carolus I. Sancti
Ludouici IX. Galliarum regis frater; Phocensis
sive Narbonensis (nunc ditionem illam, Prouin-
ciam vocant) Comes. postmodum à Clemente IV.
Pont. Max. contra Manfredum Frederici I. I.
Imperatoris ex concubina matre filium, Sicilia
regni vsurpatorem, Sicilia rex creatus. Romam
siquidem euocatus, ipse vxor que in æde Late-
ranensi, (auctore Aemilio) à purpurato lega-
to, iussu Pontificis, reges Siciliae, Hierosoly-
morumque designantur. Quamobrem Caro-
lus hic dictus est I. Sicilia rex. cuius filius regni
heres, & patri successor, Carolus II. pater fuit
S. Ludouici, de quo nunc agitur, Episcopi Tolo-
sani. huius auus Carolus I. occupatum non sine
sanguine Sicilia regnum, Anno salutis nostræ
M. CC. LXXXI. totâ Sicilia cæsis omnibus
Francis, perdidit in Vesperis Siculis, Petro Tar-
raconensi rege Siciliam inuadente: quod illi Con-
stantia filia Manfredi vxor esset, cuius iure re-
gnum petebat. Carolus I. dum bellum reparat,
filius eius Carolus II. capitur ab Hispanis, & ca-
ptiuus in Hispaniam abductus est. cum (teste
Aemil.) eius pater ætate graui, laboribus, lu-
ctu, tædio aduersarum rerum sic quoque
non

Paul.
Aem.
S. Lud.
ix. Gal.
rege.

Auus S.
Ludouici
quâ ra-
tione re-
gnum Si-
cilia sus-
cepit.

Quod per-
didit in
Siculis
Vesperis.

Idem
Phi. III.
rege
Gal.

Indidit.

non cedere, nō succumbere animo statuens, sed experiendum agendumque ratus, dum Calabrorum, Apulorum, Lucanorum, Picentinorum, Brutiorum vrbes, ad confirmandos animos circumit, morbo correptus decessit: rex indole animi summus vir, sed peccato suorum (vt auctores tradunt) miser; maximis victoriis per diu clarus, sed senior viam fortunę malis expertus. *Carolus eius*

filius dum in custodia haberetur Barcinone, transfactum est, vt illi ad componenda regni negotia dimisso, filij obsides substituerentur: quorum vnus fuit hic S. Ludouicus Episcopus Tolosanus. Quomodo recuperauerit Carolus I. I. S. Ludouici patet.

Itaque S. Ludouico Episcopo Tolosano patruus magnus fuit S. Ludouicus IX. Galliarum rex, qui Caroli I. Siciliae regis frater. haec ex

Fruc.º, Paulo Aemil. lib. Conformitatum, alijsq; diligenter collecta, plusculis verbis adscribenda fuerunt ad historiae lucem.

Matre Mariã Hungariae regis filiã.] *Hic* Stirpis matris S. Ludouici series.
michi face opus est, in propemodum inextricabilibus tenebris, quas offundunt (à me tamē non nominandi) qui S. Ludouici Episcopi seriem materni generis explicare sunt conati: quam ego, secutus P. Aemilium, & Antonium Bonfinium, hac de re ex professo scribentes, in hunc modum

P. Ac. recensio. Andreas I. I. Vngariae rex (inquit
 mil. Aemil.) ex vxore Gertrude Sueuã genuit Be-
 Philip. lam, Colomanum, Andream, & quasdam præ-
 iv. terea filias, in quibus diuam Elizabetham, &c.
 Rer. Cum Andreas excessisset humanis (auctore
 Vngar. Dec. II. Bonfinio) Bela filius natus maior ab Vngaris
 lib. VIII.

omnibus rex consalutatur. Extincto Belâ,
 Stephanus eius filius hæreditario iure re-
 gnum accepit. Stephano v. Belæ IIII. filio Id. lib.
 Maria gnata fuit, auix fortita nomen, quæ ^{ix.}
 Imperatoris Græcorum quondam filia fue-
 rat. Hanc pater Stephanus Carolo Claudio,
 Caroli filio, qui auctoritate benificentiaque
 Senatus Apostolici Siciliae regnū sibi vendi-
 cauerat, legitimo vinculo coniugauit. Huic
 ex vxore Mariâ regis Vngariæ filiâ, filij qua-
 tuordecim fuere, mares nouem, fæminæ ve-
 rò quinque. In primis, Carolus Martellus
 Princeps Salernitanus, Ludouicus Episcopus
 Tolofanus, inter diuos non immeritò rela-
 tus, Robertus dux Calabriae, Philippus prin-
 cept Tarentinus, Raymundus, Berengarius;
 item Ioannes & Christianus. Ioannes dux
 Dyrrachus, Petrus denique Grauiæ Comes.
 Maior natu (*inquit paullo ante hæc verba*) Ca-
 rolus Martellus, Vngariæ regnum maternâ
 hæreditate expectabat: imò (*vt ipse scribit*)
 viuentibus adhuc parentibus rex Vngariæ
 creatus est, & superstibus eis Neapoli ex
 humanis excessit. Ceterum is (*inquit Aemil.*) Vbi sup
 solo apud suos nomine fuit rex: nec faciliores
 æquioresue res illi Vngaræ, quàm patri Sicu-

S. Eliza-
beta
S. Ludo-
uicus co-
gnatus
fuit.
Nec ille
primoge-
nitus. læ extitere. *Posui ferè eadem verba, licet non
 eisdem locis, A. Bonfinij. Primùm, vt intelligas,
 quoto consanguinitatis gradu, S. Ludouicus Epi-
 scopus attigerit S. Elizabetham: cùm illa fuerit
 matri S. Ludouici Mariae proamita. Deinde, vt
 videas S. Ludouicum non fuisse primogenitum
 patri,*

patri, sed Carolum Martellum natu maiorem. Errant igitur, quotquot Ludouicum primogenitum scribunt: ut liber Conformitatum fruc. 8. atque illum secutus Robertus à Licio Serm. de S. Ludouico qui est 40. Pelbertus à Themesevair Serm. de S. Ludouico. Petrus Rodolphus lib. 1. histor. Seraphica religion. Vineæ S. Francisci Teutonum linguâ conscripta. Item Hieron. Plat. l. 2. de Bono stat. rel. cap. 26. &c. Robertus pro se bullam Canonizationis adducit, qua tamen nusquam S. Ludouicum appellat primogenitum: sed dicit eum iuri primogenituræ renunciassè & regno, quod (historiâ narrante) sibi hæreditariâ successionē debebatur. Debebat illi regnum, non quia primogenitus: sed, quia primogenitus eius frater Carolus Martellus abierat è viuis, cui ille legibus & iure succedere posset, cum secundogenitus esset.

§. 7.
Cap. 10

Sed secundogenitus.

Utroque parentum genere, regali stemmate clarus, & sanctitate (si dicere licet) agnatâ illustris fuit. Ceterum Hieron. Platus, candidus (si quisquam alius) scriptor, subindicare videtur duos tantum è regum filiis Ordinem S. Francisci cohonestasse: primum Iacobum primogenitum regis Maioricarum; alterum Ludouicum, de quo nunc agimus. sed errat: quia duos Imperatores in Ordine Franciscano fuisse, duodecim reges, multos regum filios, principes viros plures, in Commentario meo ad Vitam S. Francisci comprobatum est. In §. 8. cap. 3.

l. 2. de
Bono
stat. rel.
26.

Multos reges, regumque filios Ordo S. Francisci habuit.

Aspectu pietatis S. Ludouici regis Galliarum.] Veteribus Christianis in more fuit, San-

Et eorum nomina imponere filiis, ut virtutes imitarentur, quorum nomina tenerent. Hoc spectantes parentes, Ludouico filio, nomen patruum magni dederunt. S. Ludouicus rex Galliarum, auo paterno S. Ludouici frater fuit. Itaque ille patruum magni nomen retulit, & pro voto parentum sancti cognominis sui etiam sanctitatem representauit.

Auctor historiae aequalis S. Ludouici. A serenissimâ eius matre reginâ Mariâ accipi.] Ita loquitur ignotus auctor historiae, hic, & nonnullis aliis locis, significans, S. Ludouico Episcopo se aequalem & familiarem fuisse: quo fidei historiae maior auctoritas accedit.

IN CAPVT II.

Filius Ludouicus obses cum duobus fratribus.] Carolus II. patrem Ludouici in bello captum ab Hispanis, dictum est ad initium capituli precedentis: sed dimissum paullo post ad componenda regni negotia, certis conditionibus, atque filius datis obsidibus, & (quod P. Aemil. Phil. iv narrat) quadraginta praeterea e provincia Phocensi nobilibus viris. S. Ludouicum datum obsidem omnes scribunt: in numero tamen obsidum plerique variant. Aemilius duos tantum obsides scribit, Robertum & Ludouicum. Blondi Epitome, Carolum primogenitum, cui postea Martello regi Hungariae fuit cognomen, & Loysium. Similiter Platina. At verò noster auctor S. Ludouico familiaris, Ludouicum obsidem pro patre datum testatur, cum duobus

Quot fratres cum S. Ludouico dati pro patre obsides.

Phil. iv

Ind.

Apud Aen.

Sil.

Nicol.

iv. PP.

§. 3. bus germanis fratribus. quod ipsum attestatur
 Ioannes PP. XXII. in Bullâ Canonizationis, hi-
 storia vite S. Ludouici à nobis additâ. Primus
 obses S. Ludouicus: alter Robertus frater eius,
 cuius mentio fit initio cap. 4. Vitæ S. Ludouici.
 Tertius Raymundus, cuius meminit sub finem
 capituli quinti.

Qui posset in tot aduersis tanta esse æqua-
 bilitas.] Iuuat saluberrimum Senecæ moni-
 tum adscribere: ut habeat ab Ethnico Christia-
 nus quod miretur non solum, sed etiam imite-
 tur. hæc ait, ut putemus talia quæcumque fiunt,
 debuisse fieri: adeoq; non naturam, non aucto-
 rem naturæ à nobis obiurgandum esse. Opti-
 mum est pati quod emendare non possis: &
 Deum, quo auctore cuncta proueniunt, sine
 murmuratione comitari. Malus miles est,
 qui imperatorem gemens sequitur. Quare
 impigri atque alacres excipiamus imperia:
 nec desinamus hunc operis pulcherrimi cur-
 sum, cui quicquid patimur, intextum est.

Epist.
108.

Patien-
dum quod
vitari
nequit

IN CAPVT V.

O Randi perpetuitate.] A teneris annis
 adeo assuevit studio precandi, ut cum se
 quieti dedisset, & abeuntibus famulis secum es-
 set, parualus adhuc singulis noctibus solexet è
 lecto surgere, & in oratione & lachrymis usque
 ad mediam noctem perdurare, quod omni tem-
 pore eum fecisse scribit liber Conformitatum
 fruc. 8. ubi Vita S. Ludouici enarratur.

S. Ludo-
uicus no-
te in pre-
cibus assi-
duus ad-
huc puer.

G 4

IN

IN CAPVT VI.

Signum Crucis ad expeditionem transma-
rinam.] *Urbanus PP. II. ad sacrum bellū pro
recuperatione Hierosolymorum, in Concilio Cla-
romontensi, quos exhortatus induxerat, signo
Crucis signauit in humero dextro. quem ritum
alij Episcopi secuti, milites in expeditionem con-
tra Saracenos proficiscentes, etiam signo S. Cru-
cis signare solebant. Multi historiam scribunt,
satisfecerit Iacobus à Vitriaco historia Orienta-
lis Ecclesie cap. 16. Paullus Aemilius Philip-
po I. Francorum rege. Hinc ista Bulla Cruciate,
quæ etiam postmodum contra hæreticos solent
denunciari.*

Milites
olim in
sacro be-
lo cruce
signati.

IN CAPVT VII.

Corporis exercendi gratiâ hortum cole-
bat.] *Sapiēter Seneca. Interdum quies in-* Epist.
quieta est. Et idè ad rerum actus excitandi, 87.
*ac tractatione bonarum artium occupandi
sumus, quoties nos malè habet inertia sui im-
patiens. Magni imperatores cū malè parē-
re militem vidēt, aliquo labore compescunt,
& expeditionibus detinent. Numquam va-
cat lasciuire districtis: nihilque tam certum
est, quàm otij vitia negotio discuti.*

Otij in-
quieti
vita ne-
gotio a i-
quo dis-
cutienda.

IN

IN CAPVT VIII.

PLerisque aliis spectatâ pietate & eruditio-
ne.] *Vsus est S. Ludouicus præceptore F. Pon-
tio Carbonello, ex Ordine Minorum, tantisper
dum Barcinone degeret in custodiâ. Conform.
fruc. 8.*

S. Ludouici præceptor.

IN CAPVT IX.

QVam gratæ fuerint Deo cõciones eius.]
*Alia miracula refert liber Conformita-
tum fruc. 11. Aliquando in Montepessulano à
concione eius, mulier tactu eius, à fluxu sangui-
nis est liberata. Alia, impositione manuum eius à
dolore capitis curata.*

Miracula conciones comprobant.

IN CAPVT X.

OMnes diuitias & potentissimum re-
gnum.] *S. Ludouicus omnia pro nihilo
putans deseruit. à cuius mente non procul rex
ille subtilis iudicij, quem ferunt traditum sibi
diadema, priusquam capiti imponeret, reten-
tum diu considerasse, ac dixisse, O nobilem
magis quàm felicem pannum! quem si quis
penitus cognoscat, quàm multis solitudini-
bus & periculis, & miseriis sit refertus, ne hu-
mi quidem iacentem tollere vellet. Pulcher-
rimè Seneca. Mihi crede. is beator est, cui
fortuna superuacua est, quàm is cui parata
est. Omnia ista bona, quæ nos speciosâ sed*

Regnum magis nobile quàm se. ix.

Val. 7.
cap. 2.
Ext. 5.

Ad Po-
lyb.
lon. sol.
28.

G 5 fallaci

fallaci voluptate delectant, pecunia, dignitas, potentia, aliaque complura; ad quæ generis humani cæca cupiditas obstupescit, cum labore possidentur, cum inuidia conspiciuntur. eosque ipsos quos exornant & premunt, plus minantur quàm profunt. Lubrica & incerta sunt, numquam bene tenentur. nam ut nihil de tempore futuro timeatur, ipsa tamen magnæ felicitatis tutela sollicita est.

IN CAPVT XI.

SVsceptus à R.P. Ioanne à Murro.] *Hunc Ioannes PP. XXI I. vocat Episcopum Portuenssem. is erat Generalis Ordinis Minorum, postea Cardinalis, & Ordinis Protector. ut tradit lib. Conform. fruc. 8. quo loco etiam scribit S. Ludouicum anno etatis decimo nono, aut vigesimo, Ordinem ingressum esse. & quidem (auctore Petro de Natalibus) in Vigiliâ Domini- ce Natiuitatis. cum de licentiâ Summi Pontificis statim professus, eâdem die per Summum Pontificem pronuntiatus est Episcopus Tolosanus. Ceterum si dicatur professus anno etatis vigesimo primo, videbitur constare computatio etatis S. Ludouici posita ab auctore cap. 19.*

Bol.
Can.
§. 7.

L. 7.
c. 77.

Nota no.
16.

Omnia aurea & argentea,] prius patri amore paupertatis reddidit, sed post paucorû usum permisit sibi, non sui pretio, sed aliorum respectu. Breuiter & eleganter à Senecâ scriptum, Epist. 5.
Magnus ille est qui fictilibus sic utitur quem-
admo-

admodum argento. nec ille minor est, qui sic argento utitur, quemadmodum fictilibus infirmi animi est pati non posse diuitias.

IN CAPVT XV.

De be-
nef. 6.
cap. 30.

NAm & amici monendi sunt.] *Rursum haud immerenter Romani Sapientis verba adscribo.* Omnia sanè exclusit opulenta felicitas, monstrabo tibi cuius rei inopiâ laborant magnâ fastigia, quid omnia possidentibus desit: scilicet, ille qui verum dicat. & hominem inter mentientes stupentem, ipsaque consuetudine pro rectis blanda audiendi, ad ignorantiam veri perductum, vindicet à consensu concentuque falsorum.

Verum
qui dicat
omnia pos-
sidentibus
abest.

IN CAPVT XVI.

EPiscopus iussit inquire in annuos prouentus.] *Hi ad quadraginta millia librarum ascendebant. quorum decem millia pro suis impensis accipiens, reliqua pauperibus erogauit.* lib. Conform. fruc. 8.

S. Ludo-
uici an-
nuu red-
ditus.

IN CAPVT XVIIII.

Mira inerat amœnitas faciei.] *Tam formosus erat, ut ad eum videndum, quocumque venisset, omnes accurrerent, dicerentque se numquã pulchriorem faciem conspexisse.* Lib. Conform. fruc. 8. Pomerij Sermo de S. Ludouico.

pulchri-
tudo fa-
ciei.

Omnes

Ut in par-
uo corpo-
re perfe-
ctus esse
potest ho-
mo: sic in
brevi tem-
pore vita
perfecta.

Omnes coronæ omnium virtutum orna-
bant.] *Seneca*. Quemadmodum in minore
corporis habitu potest homo esse perfectus,
sic & in minori temporis modo, potest vita
esse perfecta.

Tarasum.] *Gallia Narbonensis*, quæ nunc
Prouincia dicitur, opidum. *A. Ortelius Taruscon*
vocat.

Brincola,] *Arx*, ubi natus & mortuus esse
dicitur *S. Ludouicus*. *Lib. Conform. fruc. 8.* alij
tamen alium mortis locum adsignant.

IN CAPVT XIX.

QVintadecimâ valetudinis die.] *Cæpit*
ægotare Nonis Augusti, quibus *S. Domini-*
ci celebratur anniuersaria solemnitas. *Mortu-*
rum se post triduum prædixit, auctore *Pet. de*
Natalibus. *Mortuus est XIV. Kalend. Septembr.*
Collegi ex lib. I. histor. Serap. relig. Petri Radul.
& aliis.

Quando
S. Ludo-
sic mor-
tuus.

Anno salutis millesimo ducentesimo no-
nagesimo septimo,] *Mortuus ab auctore no-*
stro dicitur. consentit lib. Conform. fruc. 8. &
Baronij nota ad Martyrologij 19. Augusti diem.
At Pet. de Natalibus mortuum scribit anno no-
nagesimo quinto supra millesimum ducentesi-
imum. Ceterum & hic densæ tenebræ, forsan à
numeris, quibus scribendis vitium facile irrepit.
Firmamentum trium Ordinum S. Francisci (sic
liber inscribitur) tradit S. Ludouicum regulam
S. Francisci professum, Anno supra millesimum
ducen-

Epist.
94Io. à
Murro
Gé. xv.

ducentessimum nonagesimo sexto. ad hoc, auctor noster disertis verbis docet ipsum, posteaquam custodiâ liberatus esset, duobus annis & decem mensibus vixisse. quod si verum est, sequitur, aut prius fuisse professum; aut non nonagesimo septimo, sed nonagesimo nono anno discessisse. quod legitur quintâ lectione in octavâ S. Ludovici, cui Firmam. triû Ordin. consentit: aut certè alicubi in numeris scribendis erratum esse. quod in aliis nonnullis contigisse mihi equidem persuasum est.

Admodum iuuenis obiit.] Sapiens documentum Seneca tibi rursus ingero. Quicquid ad summum venit, ad exitum prope est. eripit se aufertque ex oculis perfecta virtus: nec ultimum tempus expectant quæ in primo maturuerunt. Ignis quò clarior fulsit, citius extinguitur. Viuacior est qui cum lentâ difficiliq̃ue materiâ commissus fumoq̃ue demersus ex sordido lucet: eadem enim detinet causa quæ malignè alit. Sic ingenia quò illustriora eò breuiora sunt. Nam vbi incremento locus non est, vicinus occasus est. Et nos, si tempore bene uti velimus, etiam paruum amplissimum faciemus, numerum annorum multitudinem operum superando. Alioqui quid attinet inertî morâ gaudere, si magis vitam exigis quàm approbas? Non est positum vitæ bonum in spatio vitæ, sed in usu. atque ita fieri potest ut qui diu vixerit, parum vixerit, siue potius mortuus fuerit diu. Ut satis vixerimus nec dies faciunt nec anni, sed animus, pietate & reli-

Con-
fol. ad
Mart.
23.

Val.
Max.

Ingenia
quò illu-
striora,
breuiora.

Tempus
breue usq̃
amplis-
simum
fieri po-
test.

religione repletus. Igitur quomodo fabula, Sen. ep.
 sic vita: non quàm diu, sed quàm benè acta 78.
 sit, refert.

Totius vitæ decursus fuit viginti trium
 annorum & sex mensium.] Sic auctor Ludou-
 nico equalis & familiaris. attestatur liber Con-
 form. fruc. 8. Vineæ S. Fracisci cap. 6. Vita S. Lu-
 douici. Petrus Radulphius li. 1. histor. Seraphicæ
 religion. Denique lectio quinta in Octauâ S. Lu-
 douici. Errat igitur Petrus de Natalibus, & S. Lud.
 eum secutus Laurentius Surius, triginta tres an- lib. 7.
 nos vitæ illius tribuentes. ut nihil addubites c. 77.
 auctor ipse, vitæ illius totius annos ut exegerit,
 recenset. Si quis verò adolescentiâ illius sugillare
 non vereatur, etiâ D. Paullum sugillet, quod Ti-
 motheum Episcopum creauerit adolescentem: at-
 que adeò adolescentem, ut eius rei gratiâ con-
 temni periculum fuerit. & ne fieret, scribit,
 Nemo adolescentiâ tuâ contemnat. in quem 1. Tim.
 locum D. Chrysostom. Si ætatis defectum indo- 4. 12.
 lis magnitudine, moruinque grauitate sup- hom. 13
 pleueris: nullus iam te adolescentiæ causâ
 contemnet, verùm admirabitur magis. Con-
 tingit aliquando adolescentes cordatos esse: qui,
 si ad illud Episcopale munus euehantur, non de-
 rogatur muneri: quia non vitæ respicitur, sed
 virtus desideratur. Talis S. Remigius Episcopus Marty-
 Remensis, quem Baronius ex Fortunato & aliis rolog.
 scriptoribus, adfirmat Episcopum creatum, eta- 1. Oct.
 tis annum agentem vigesimum secundum. Visus
 est B. Ludouicus à quodam religioso fratre à
 multitudine magnâ Angelorum in paradysum
 deferri,

Anni vi-
 ta S. Lu-
 douici.

Adole-
 scentium
 non tam
 vitæ re-
 spectenda
 quam
 virtus.

deserri, voce magnâ clamantium, Sic fit ser-
 uienti Deo in munditiâ & puritate. id quod
 legimus lectione quintâ in Octauâ S. Ludouici.
 Ser. 4c. Attestatur Robertus à Licio Ser. de S. Ludouico.

S. Ludouici
 uici ans-
 ma uisa
 in cauis
 ascende-
 re.

Sepultus est Massiliæ.] Sacrum funus S. Lu-
 douici dum ex arce Brincolâ Massiliam portare-
 tur ad sepulturam, visi sunt de celo radij, instar
 lancearum ad sacrum corpus descendere. & ex-
 tinctæ faces in viâ calitus accendi. Scribit Liber
 Conform. fruc. 8.

Ritus lu-
 minis in
 exsequis
 diuinitus
 compro-
 batus.

Conspectus est autem,] A morte nimirum,
 ritu Episcopali factô signo Crucis sicut consue-
 uerat, populum benedixisse. Indidem.

IN CAPVT XX.

Vetus exemplar Louaniense manuscriptum,
 capite VII. historiae Vitæ S. Ludouici, mul-
 ta recenset miracula, quibus permotus Pontifex,
 cum retulit in numerum diuorum post historiam
 vitæ eius plura alia sunt adscripta: quorum
 quædam in vitâ eius, nonnulla post eius mortem
 sunt facta. & quidem omnia ista mixtim sine
 ullo ordine, ut fortè contigerant, aut certè ut
 venerant ad notitiam scriptoris, siue collectoris:
 nec enim vnus auctor esse videtur. Visum mihi
 omnia ferè ista in ordinem redigere, & ad ex-
 emplum S. Bonauenturae, miracula S. Francisci
 conscribentis, quæ eiusdem erant argumenti, pa-
 ragraphis propriis comprehendere.

Miracula
 S. Ludouici
 in or-
 dinem di-
 gesta.

§. 14. &
 seq.

§. 1. De mortuis qui reuixerunt.] Ioan-
 nes PP. XXII. in Bullâ Canonizationis S. Lu-
 doui-

Mortu
 complures
 S. Ludouici
 meritis reu-
 xerunt.

douici, commemorat sex mortuos meritis eius re-
 uixisse. at verò lectio quinta in octauâ S. Ludouici,
 adfirmat probatum esse testimonio fide di-
 gnis, duodecim mortuos suis meritis diuini-
 tus suscitatos: imo plures videbit, qui hunc pa-
 ragraphum dignabitur inspicere, referentem
 quatuordecim resuscitatos fuisse. Præter ista,
 alia commemorat lib. Conform. fruc. 8. septem
 scribens mortuos resuscitatos eius patrocínio.
 Vbi illud vehementer stupendum de duobus fra-
 tribus Massiliensibus, quorum vnus alterum for-
 tē occiderat: occisor morti addictus, gladio ca-
 sus est. Mater, dum tristia funera filiorum in
 templo S. Ludouici ponerentur, voto concepto
 in Sanctum pro vitâ filiorum, capite decollati
 vnde casum erat se reponente, utrumque filium
 viuum recepit. Alia etiam ponit non minus mi-
 randa, quæ prætereo. Sed vnum addam ex
 S. Antonino, quod viro nobili contigisse scribit
 in Apuliâ. qui immeritò suspendio adiudica-
 tus, cum ter suspensus, tertio etiam rupto la-
 queo decidisset illæsus, patrocínio S. Ludouici
 seruatus, dimissus est. Tertiâ par. histo. Tit. 24.
 cap. 4. §. 2.

Prodigium
 magnum.

§. 6. De mutis.] Vltimum miraculum
 manuscripti exemplaris Louaniensis, hic lubet
 adscribere, & quidem penè iisdem verbis. Ac-
 cidit Louanij anno Domini M. CCCC. XXVI.
 postquam vitam S. Ludouici & miracula prædi-
 casset F. Henricus de Zichem in plateâ dictâ
 groefstrate, quædam mulier eiusdem plateæ re-
 tulit, cuidam viro, dicto Henrico Iseren & Ca-
 thari-

tharina uxori filium puerum fuisse toto sexennio mutum. Parentes auditis miraculis S. Ludovici, pro salute & voce pueri duos careos Sancto voverunt, si praescripto tempore vocem & loquelam reciperet, facto voto, mox puer vocalis auditus est, & perfecte loquens.

Voto parentum
filius mutus
vocalis factus.

Or. 1. de Imaginib. §. 13. Sepulchrum eius visitantibus mens sanior reddita.] *Signatè notanda Io. Damasceni sententia. Sancti & dum viuerent repleti erant Spiritu sancto, & postquam decesserunt, gratia Spiritus sancti semper inest eorum animis atque corporibus, in sepulchris, & signis, & imaginibus; non per essentiam, sed per gratiam & actionem.*

Etiã sepulchris
Sanctorum
inest gratia.

IN CAPVT XXII.

TRansfertur ad summum altare.] *Factum istud Anno salutis M. CCC. XVII. Consentit Firmam. trium Ord. à quo tamè discrepat lectio quinta in Translationis eius festo, translationi eius ascribens annum x x. Sed facile in numeris erratur. In eius translatione quinque mortuos reuixisse, & multos egros sanatos scribit Petrus de Natalibus. & Petrus Rodolph. lib. 1. histor. Seraphica relig. Post decem & octo annos, cerebrum capitis eius tam recens & integrum inuentum esse, quasi viueret, commemorat lectio sexta in octauâ Translationis. Quod Robertus Sicilia rex frater eius accipiens, Neapolim deportauit: ubi argento inclusum, auro gemmisq; ornatum, in veneratione est.*

Miracula
in corporis
translatione.

Cerebrum
S. Ludovici
dixit incorruptum.

H lesimo

Corpus
eius in
Hispaniâ
auectum.

lesimo quadringentesimo septimo decimo, corpus eius Massiliâ auectum ab Alfonso Aragonum rege in Hispaniam, refert supradicto loco Petrus Radulph. commemorat Franciscus Gonzaga, de Origine Seraphica relig. parte tertiâ, in descriptione Conuentus Massiliensis, prouinciæ S. Ludouici.

IN DIPLOMA IOAN. PP. XXII.

BVlla Canonizationis (quæ publica vox Ecclesiæ) ex Surio est adscripta ad diem 19. Augusti. quam ferè totam recitat S. Antoninus Tertiâ part. histor. tit. 24. cap. 4. è quâ lectiones in officio S. Ludouici matutino ferè omnes desumptæ sunt. Dispar aut in gratiam lectoris per paragraphos, ipsum Diploma Pontificis.

Siculi re-
gii poten-
tia.

§. 8. Quamquam Prælatus tam magnus esset, & filius tanti regis. Audio hoc etiam à nonnullis sugillari: quod inique fieri scient qui ex Paulo Aemilio, potentiam aut perscribente, etiam Romanis grauem, atque inuidiosam, recognoscere velint. Philip. III. Francorum rege.

Maligni-
tas etiam
horos mor-
tiet.

Eant nunc obirectatores, inuidi virtutis Sanctorum. qui cum in imo turpitudinis gurgite iaceant, aliorum virorum celsitudinem & splendorem nec videre possunt, nec ferre. Nam qualia pectora, quales voces, imò monstra verborum! quibus vitam S. Ludouici sugillantes parum dignam temerariè indicant, quæ viro beato adscribatur. Scilicet, Nulla tam modesta felicitas est, quæ malignitatis detes vitare possit.

possit. Verum ut iter facientes per solem, necessario comitatur umbra: sic incedentibus per gloriam comes est invidia. Illud modo dixerim, Qui in altum mittit lapidem, super caput eius cadet: ut tales cum diis pugnare desinant. Porro ut fumus densior in primis ignem premens obscurat omnia; sed flammis paulatim pererrumpentibus, quæ tenebrosa parebant, magis illustrantur: sic ipsa res, ipsa beati viri puræ vitæ sanctitas, atque ille splendens miraculorum fulgor, noctuas illas tantam eius lucem non ferentes, facile dispulerint.

Eccli.
27.28

Sed ego te nunc calitus nos inspicientem, sanctissime Præsul, gemmula Minoritarum, compellans, Ecclesiæ precatone, me & hunc qualemcumque laborem meum, commendo tuo patrocinio,

Rosa vernans caritatis, liliū virginitatis, stella fulgens Ludouice, vas sanctitatis, ora pro nobis Dominum.

F I N I S.

Errata ante lectionem emendanda.

Pag. 26. versu 2. effectum, lege, affectum. Pag. 30.
vers. 19. o vulgi, lege, non vulgi. Pag. 64. vers. 8.
& filia, dele, &. Indid. 14. iacere &, lege, iacuisse.

A P P R O B A T I O.


*Historia Vitæ S. Ludouici Episcopi Tolosani, à
R^{lo}. Patre Henrico Sedulio adornata, &
Commentariis illustrata, sanctissimis exem-
plis mores hominum format, & aduersarios
Catholicæ religionis insigniter confundit:
ideo eam pralo & lectione dignam iudicauit.*

Laurentius Nagelmaker Ar-
chidiaconus Mechlinien-
sis, & Librorum Censor.


*Placet pralo mandetur. Fr. Balthazar Vincenz
Minister Prouincialis.*










11



[Faint, illegible handwritten text or markings along the right edge of the paper.]







172
3.
1000

K.

Th
2418